MERCURII GALLOBELGICI
SUCCENTURIATI,
Sive

RERVM IN GALLIA ET BELGIO POTISSIMUM; HISPANIA QVOQUE, ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, Vngaria, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofordiensibus Anni 1604. vernalibus, usq; ad Anni eiusdem autumnales potissimum gestarum,

HISTORICÆ NARRATIONIS
continuatæ,

TOMI QVINTI
LIBER QUARTVS.

Vere & fideliter conscriptus à
M. GOTARDO ARTHUS DANTISCANO.

FRANCOFURTI,
Sumptibus SIGISMUNDI LATOMI, Anno 1604.

ILLVSTRI ET GENEROSO COMITI ET DOMINO, Dn. LVDOVICO, COMITI IN NASSAU, SARPRUCKEN & Sarwerden, Domino in Lahr, &c. Domino ſuo benigniſſimo, S.

EPirotharum Rex Pyrrhus, Generoſiſſ. Comes Dn. clementiſſime, cum aliquando à filiis ſuis etiamnum pueris interrogaretur, cui regnum relicturus eſſet? ei, reſpondit, veſtrum, qui acuriorem habuerit enſem, indicare volens, non atati ſe, quod plerunque fieri ſolet, principatus ſucceſſionem, ſed virtuti daturum, hoc quaſi ſtimulo omnes ad virtutis fortitudinisque certamen excitaturus. Nam virtus quidem Heroum mater dicitur, in qua ſola omnis laus & perfecta felicitas poſita eſt: Eum vero qui antecellere & ſuperare alios maximè expetit, progredi ſemper in via virtutis non regredi decet. Quemadmodum enim in Philoſophando nullam debere eſſe ceſſationem aut perpetui quaſi progreſſus intermiſſionem Plutarchus eleganter monet; Sic virtutem, Ariſtoteles habitum eſſe dicit, crebra actione & conſuetudine lõga comparatum, & Socrates, Continuam eam quaſi venationem eſſe indicat, in qua percipienda, multiplex admodum & magna adhibenda ſit exercitatio. Voluit igitur non immerito Pyrrhus ille, filios ſuos acuendis ſemper gladiis operam dare, hoc eſt, voluit eos die nocteq; ſemper ſibi depugnandum eſſe ſtatuere, & ſive quidioco ſeu ſerio agerent, idem ſemper bene generoſeque agendi propoſitum tenere, & amulatione quaſi

quadam ceu ſtimulo currentes ſeſeipſos excitare, ne torpore quodam marceſcentes, ſitum contraherent, imperioque regendo inutiles tandem fierent.

Fecerunt hoc ipſum omnes, quotquot aliis dignitate ſuperiores extiterunt olim Principes. Noverant enim Homericum illud, non decere principem virum noctem totam dormiendo conſumere. Hinc Dionyſius Syracuſanus, cuidam an otioſus eſſet percontanti, abſit, inquit, ut hoc mihi unquam accidat. Et notum eſt, Alexandri illius Magni reſponſum, quo quærenti, quomodo tot tantasq; res tam brevi temporis ſpacio confeciſſet? Μισὲν ἀναβαλλόμενος dixit, à torpore ſeſe & ſomnolentia abhorruiſſe ſemper, noctemq; virtutis hoſpitium, at diem, eiusdem caſtra ſtatuiſſe, ſignificans. Invictiſſimus patrum noſtrorum memoria Carolus V. Imperator, maximis maximaq; laude digniſſimis rebus feliciter tam bello quam pace geſtis, nullo unquam tempore regreſſus, ſed progreſſus ſemper ulterius eſt, adeo ut ipſis etiam columnis Herculis, quibus ille, non plus vltra contendendum eſſe inſcripſerat, limitem quaſi orbis ibi eſſe denotans, ſuperatis novas Indias & fortunatas Inſulas orbi aperuerit.

Huius laudatiſſimis veſtigiis ſemper hactenus principes inſiſtentes, mirum quantas brevi tempore res, terra mariq; tam belli quam pacis tempore geſſerint. Eſt in eorum numero, non poſtremus Mauritius Vraniæ Princeps, Comes Naſſovia, &c. de quo tacere forſitan præſtiterit potius, quam pauca dicere, cum quanta virtutis curſum laude decurrat, ignotum eſſe hodie, ne in extrema quidem India commoranti queat eſſe nemini. Laudatur Alexander Magnus, quod cum de rupe quadam apud Indos inaudiſſet, eam expugnatu difficilem

eſſe,

esse, & propterea ἄορνοι quasi avibus etiam propter sublimitatem inaccessam dici, hunc quidem respondit, locus captu facilis est, summa statim contentione ad eius expugnationem se accingens, Mauritius vero quid ob res praclare gestas laudis audiret quaso, nisi ex illis esset, qui quo laude magis digni sunt, eo laudes suas minus libenter audire consueverunt? Certe dum vel Rhenus Oceanum influet, nulla celebritatem nominis eius obliterabit oblivio.

Caterũ Generosiss. Comes, Dn. clemẽtissime, cum quæ hac æstate in Flandria ab ipso gesta sunt, strictim in hoc libro persequi, instituti mei ratio me moneret, & vero patronus aliquis hisce lucubrationibus quærendus esset, qui contra malevolorũ morsus eas tueri & defendere autoritate gravitateq; sua posset, illustri Generositate V. commodiorem deligere alium nec potui nec debui, quod vt familia, sic laudis etiã & gloria Nassovica particeps ea sit, atq; ita vigiliarum hoc mearum opusculum, suo quasi quodam iure ad se deferri postulare mihi videatur. Humili igitur observantiæ studio libellum hunc Generosissimæ V. C. consecratum offero, atq; ut benigno eum aspicere vultu non dedignetur, maiorem in modum etiam atq; etiam peto. Deus Opt. Max. generosiss. C. V. cum universa Nassovica familia annis quamplurimis valentem bene & florentem conservet atq; tueatur. Francofurti ad Mœnum, 8. Septemb. Aõ. 1604.

Generosiss. C. V.
subiectiss.

M. Gothardus Arthus
Dantiscanus.

RERVM IN HOC QVARTO LIbro memorabilium Index.

Æthiopis cuiuſdam ſeduli tas mira 122
Adolphus Naſſoviæ Comes in Oſtendam venit 144. iterũ diſcedit, 147
Algeria à Mauritaniæ Rege oppugnata 2
Althemici milites in iudicio ſiſtuntur 90. In eos ſententia lata 179
Annæberga incendio deleta 68
Ardenburgum à Mauritio expugnatum 81
Articuli pacis faciendæ ab Hiſpanis in Anglia propoſiti 112. A mercatoribus Anglis exhibiti 158. Inter Archiducẽ & ſeditioſos facti 87
Baſſæ quidam ab officio remoti, 26. multi interfecti 24
Carolus in Regem Suetiæ eligitur 137
Caſanti propugnacula à Mauritio occupata 72
Chriſtophorus Radzivil Palatinus Vilnenſis moritur 7
Comitia Claudiopoli celebrantur, 61. Item Eſſenæ 46
Comitis Fontani cũ Rhetis Alpeſtribus diſſidiũ & contentio 10
Coniuratio adverſus Regem Galliæ detecta 135
Cuniculi ſub porta occidentali diſturbãtur 127
Cuniculos agendi ſtudiũ ingens 146. 123
Expeditionis in Flandriã delineatę explicatio 180
Fames in Tranſylvania magna, 34. 118. In Sluſa invaleſcit 154
Galliæ Regis ſoror moritur 55
Galliæ Rex proventus regni annotari iubet 12
Hiſpanorum ad Oſtendã pugna admodum cruenta 124. Eorum cum Mauritii copiis ad Sluſam conflictus 165. Receptui canunt 166
Hugenottis in Gallia tempus prorogatur 55
Ieſuitæ qua occaſione ex Gallia An. 1594. electi, 47. Quibus conditionibus in Galliam rurſus admiſſi 53 Cur ex Anglia proſcripti ſint inquiritur ab Hiſpaniæ legato 64
Incendium Boſonii in Hũgaria 60. Item Caniſiæ, 116

116. Annæbergi 68
Incendii Annæbergici auctores puniti 171
Incendium Pragæ & incendiarii puniti 170
Inundatio Hiſpali magna 36
Jſendika à Mauritio obſeſſa 76. quibus conditionibus eius deditio facta ſit 80
Legatus Perſicus convivium Pragæ celebrat 172
Legati ex India Amſtelrodamum veniunt 136
Libellus ſupplex ab Academia Pariſienſi contra Ieſuitas Ann. 1594. exhibitus 50
Literæ Regis Galliæ de parricidio, Ann. 1594. in ſe intentato, 48. Sultani Turcici ad Regem Feſſæ 31. Haſſanis Baſſæ ad Regem Angliæ 30. Turcici Imperatoris ad Regem Galliæ 24. Baſſæ Budenſis ad Strigonienſem Præfectum 147
Maccoſius cubicularius Cæſaris in carcerem cõiicitur 4
Mare Balthicum depræ-dationibus infeſtũ 63
Mauritius expeditionem in Flandriam facit 70
Oſtendanis auxilium mittit, 169. de abitu Hiſpanorum Sluſenſes certos facit, Catharinæ & Philippi caſtella occupat, 75. Sluſam expugnat 103
Mercimonia cum Rigenſibus exercere prohibentur 138
Mittelburgum à Mauritio occupatum 82
Mœrsbergici milites ſeditionem molientes ſedantur 90
Oſtendanæ obſidionis cõtinuatio. 119. Eius in charta delineatæ explicatio. 183
Pacis tractatio inter Hiſpanum & Anglum inſtituta, 111. Eius inter Turcas & noſtros ſpes fruſtranea 18
Paderborna ab Epiſcopo ſuo occupatur 67
Palermi civitatis in Sicilia deſcriptio 8
Pardonium arx in Hiſpania exuſta 67
Perſicus legatus in Gallia repulſam patitur 13
Porta occidentalis in Oſtẽda per cuniculos diſiecta 167
Præliũ inter Hiſpanos & Oſtendanos ingens 168

Proditio in Gallia detecta, 88. Item in Schenkii caſtro 66
Regi Galliæ inſidias ſtructurus punitur 15
Regina Galliæ negotiis publicis intereſt 16
Regis Perſarum legatus Pragam advenit 172
Rex Galliæ Jeſuitis favet 17.
Rex Perſarum pacem cum Sultano fieri diſſuadet, 56. Babyloniam occupat 28
Seditioſi in Belgio quibus conditionibus Graviã à Mauritio inhabitandam acceperint, 37. Vt ad officium redeant per tympaniſtam moventur. 46. Expeditionem in Brabantiam faciunt, 84. Archiduci reconciliantur, 86. Eorum præfecti duo ad Mauritium veniunt 155
Simninium caſtellum a Turcis vaſtatum 149
Sluſa à Mauritio obſidione cingitur, 102. aliquot peditib. ſublevatur 99
Sluſenſes auxilia ab Hiſpanis accipiunt. 151. deditionem faciunt. 174
Sluſenſis obſidionis delineatæ explicatio. 181
Sluſenſem expugnationē quid conſecutum ſit.
Spinola falſo trucidatus dicitur. 148
Sultanus legatum ad Cæſarem mittit. 17. Variolis correptus decumbit. 59
Tartari in Hungariam rurſus proceſſuri dicuntur. 116
Tumultus in Suecia. 63 in Moſcovia. 62. in Tranſylvania. 117
Turcæ pacem ſimulant: omnia fraudulenter agunt. 19. pacem iterum tractare ſimulant 148.
Vallum vetus in Oſtenda ab Hiſpanis occupatur. 168.
Viennenſes duo ſibi ipſis manus inferunt. 93
Vtenhofius fit Gubernator in Oſtenda. 127. trucidatur. 132
Weſtphali honoraria ſeditioſis offerunt. 45
Zellalyus Lippam tentat. 115. Boſna eiicitur. 59

Anno 1604.

MERCVRII GALLO-BELGICI SVCCEN-TURIATI, TOMI V. LIBER IV.

EA CONTINENS QVÆ PER hyemem, & præcipue à nundinis Francofurtenſibus Anni 1604. vernalibus, uſque ad autumnales eiuſdem anni memoratu digna paſſim evenerunt.

ALgeria civitas eſt Africæ magna admodum & opulenta, à naufragio Caroli V. quod iuxta eam inſigne admodum paſſus eſt, celebris. Turcis hodie paret, cum antea ad Marocci regnũ pertinens, Mauritaniæ Regi ſubiecta fuerit, plurimos autem piratas ſuppeditat, qui mare undiq; infeſtum reddunt, itaque Hiſpanus, cum eos ſuis non parũ moleſtos eſſe animadverteret, de fran-

Algeria civitatis deſcriptio

Anno 1604. genda eorum potentia cogitationem suscipiens, classem instruxit munitissimam, civitatem illam mari oppugnaturus. Per commode tum operam suam Hispano offerebat Rex Mauritaniæ, qui conventione cum Hispano facta, ab altera parte, terra nimirum eam sese aggressurum promittebat, Si Hispanus classe sua, Sultano occasionem sublevandi civitatem præriperet, & ne accessus ad eã mari pateret perficeret. Collecto igitur ex regno suo exercitu, civitatẽ oppugnaturus venit; Sed cum vix castra ad eam metatus esset, erumpens statim ex civitate Gubernator Turcicus, cum 10000. Ianitsaris, copias dissipat, cædit & in fugam vertit. Ille tamen fretus Hispanorum auxilio, exercitum iterum reparat, civitatemque secundo obsidet. Appulerat interim Genuam Carolus Doria, classem triremibus 20. aliisque præsidiariis navibus commeatu bellico instructissimis constantem, ad Algeriam ducturus, itaq; hac de re certior factus, copias suas excitat, & ad pugnam fortiter incundã mirifice accendit,

Algeria à rege Barbariæ oppugnata.

dit, Cæterum civitatis Gubernator, facilem eum rursus profligatu ratus, ex civitate cum suis pregreditur, ad pugnā hostem provocat in aciemque medius irruit. Exoritur ingens ab utraque parte militum clamor, furentibus hinc Barbaris, illinc Ianitsaris, & rege suos inclamante fortiter, qui ne latum quidē pedem cedentes, sternunt fundunt que Ianitsaros, tandemque post stragem satis magnam in urbem compellunt, cōmeatu eorum bellico igne simul vastato & subverso. Anno 1604. *Barbaria Rex Ianitsaros fugat.*

Miserat interea Hispanus non classem solum aliquot navium, quæ contra Amurathem Rasium piratam Turcicū pugnaret, sed & cum Martino Lopesio, ingentem pecuniarum vim, & pulveris tormentarii copiam non exiguam. Cum autem dictus Martinus ad Mauritaniæ fines appulisset, ab Æthiopibus oppressus & trucidatus est, qui cū pulvere tormentario igne disperdito, acceptaque pecunia domum redire vellent, in Regis prædicti exercitum incidentes, cæsi sunt, ita ut pecunia ista tan- *Mauritaniæ Rex pecuniam ab Hispano accipit*

Anno 1604. dem ad locum destinatum pervenerit. Erat hæc fortuna Regis brevis omnino & momentanea, in morbum enim paulo post incidens, mortuus est, cumque duos reliquisset filios, de regno inter eos convenire non potuit, unde ad arma tandem ventum, & regnum in partes divisum, utrique gubernandum cessit, alter enim Maroccum occupavit, quæ ingentis magnitudinis urbs, post Cairum vel primaria iudicari potest, ob palatia ædificiaque sumptuosissime ibi extructa, & templum totius Mauritaniæ maximum. Alter vero Fessam urbem pulcherrimam celeberrimamque sibi retinuit, quæ propter situs sui commoditatem, mercatorum opificumq; copia abundat, & legum medicinæque studiis dedita est, ut ita iam ex uno regno, duo facta sint, & quæ uni antea vix sufficiebat regio, iam propter discordiam & contentionem, duobus sufficiens esse cogatur.

Contentio inter filios eius.

Inter cubicularios & aulicos Cæsaris, primarius admodum erat Maccosius quidam, apud Cæsarem quidem gratia,

Maccosius cubicularius Cæsaris in carcerem cõicitur.

apud

apud alios vero omnes authoritate & existimatione pollens maxima. Hinc in suspicionem male administratæ provinciæ veniens, de mandato Cæsaris custodiæ mancipatus est, omnibus eius bonis arresto Cæsari obligatis. Ægre autem admodum ex ædibus suis abstrahi potuit, Cum enim Satellitum præfectus ad ædes eius nocte venisset, habereque sese aliquid quod Maccofio à Cæsare diceret professus, intromitti petiisset, ipse multa nocte surgens, obiecto undique obice, ianuas munit, Secretorumq; conscias literas omnes in fasciculum colligit, occasionem elabendi quærens, Cæterum egressus tandem compræhenditur & in arcem quinque miliaribus à Praga distantem abducitur. Anno 1604.

Quod autem ad delictum eius attinet, illius quidem summam octo hisce articulis sive capitibus compræhensam assessores capitalis in Bohemia iudicii, quibus examinandus postmodo oblatus est, Cæsari exhibuerunt, quod nimirum 1. non habita ratione salutis

Anno 1604. ſiæ, iuramentum Cæſari præſtitum violarit, 2. quod librum beneficiarium, in quo prædiorum clientelarium, quæ vulgo feuda vocant, conſignatio pro Maieſtate Cæſarea facta eſſet, dolo malo detinuiſſet, literasque aliquibus inde in fraudem Cæſaris communicaſſet, 3. Quod nemini ad beneficium aliquod Cæſareum acceſſus patuerit, niſi ingenti primum pecunia eum ab ipſo redemiſſet, 4. Quod tribunus ærarius in regno Bohemiæ contra conſtitutiones regni, eſſe voluerit, cum prouincia iſta alteri iam demandata eſſet, 5. Quod literas ad Cæſaream Maieſtatem & alios ſpectantes retinuerit, donec de illis ſibi ſatisfactum eſſet, 6. Quod ſecreta Maieſtatis Cæſareæ aperuiſſet, profeſſus publice, vitam Cæſaris in ſua manu eſſe. 7. Quod cum uxore certa pecunia ab aliquo redempta, adulterium commiſiſſet, eamq; inuito Cæſare ſecũ retinuiſſet, 8. qp arrogãter nimis de favore Cęſaris erga ſe multa prædicãs, quantũ apud cũ poſſit, omnib. notum eſſe voluerit.

Causa deiecti Maccoſſi.

Cum igitur his de cauſis omnibus

in

in crimen læsæ maiestatis de facto incidisset, honorum bonorumque omnium cum vita iacturam eum feciſſe, per prædictos iudicii assessores pronunciatum est, tali quidem sententia, quod post manus utriusq; amputationem, oculorumque evulsionem, vivum cũ igne cremandum statuerent, bonis eius omnibus fisco Cæsaris applicatis. In thesauro enim eius octo millia Ducatorum Hungaricorum, septem millia Ioachimicorum, torques aureæ 32. cum monilibus, armillisque & annulis aureis, poculis item & aliis ornamentis preciosissimis, aliquot millium aureorum summam excedentibus inventa sunt. Anno 1604. *Sententia in Maccosium lata.*

Mortus est circa idem illud tempus, 20. nimirum Novembris die Anni elapsi 1603. Christophorus Radzivil, Dux Birzarum, Palatinus Vilnensis in Lithvania, cuius filius cum in Belgio apud Mauritium tum hæreret, missus est statim tabellarius, qui eum domum revocaret, quod sepultura parentis ad adventum usque eius *Christophorus Radzivil Palatinus Vilnensis moritur.*

Anno 1604. dilata esset. Accepto igitur tristissimo hoc de parentis sui obitu nuncio, filius Christophorus, itineri statim sese accingens, 22. Decembris die Coloniam advenit stipatus 280. Ordinum confœderatorum equitibus, cumque eodem etiam die Lesicurius, qui ab Angliæ Rege ad Cæsarem aliosque Imperii Principes, ablegatus fuerat, ex Germania Colonam appulisset, uterque à Senatu Colonienſi honorifice acceptus, indeque post aliquot dierum moram splendide dimissus est, legato quidem Anglico, secundo Rheni flumine Hollandiã, principe vero Lithvanico, Heidelbergam & inde Lipsiam recta petentibus, Nam 13. Ianuarii die Anni huius 1604. Lipsiam cum 23. Comitibus, nigro habitu indutis advenit, indeque Posnaniam insignem Poloniæ urbem & consequenter in Lithvaniam profectus est.

Anglia Regis legatus Coloniã venit

Palermum maxima civitas & metropolis totius Siciliæ habetur, quatuor partibus constans, quæ omnes ambitiosa mœnium & ædificiorũ structura ad modum celebres sunt, arcẽ habet magni-

Palermi civitatis in Sicilia descriptio

gnifice ex quadratis lapidibus extru- Anno
ctam, & in multis partibus marmore, 1604
auro gemmisque splendidissime orna-
tam, multorum Regum & Imperato-
rum domicilium; commendatur autē
admodum à templo, quod Divo Petro
sacrum à Rogerio Siciliæ Rege quondā
ibi fundatum est, tanta pulchritudine &
rerum pretiosissimarū apparatu, vt cæ-
teris quæ quidem in Italia sunt, seu ve-
teribus seu novis, non immerito præfe-
ratur, Civitas in circuitu passus 4000.
fere, muris ac frequentibus propugna-
culis ad recentiorem disciplinæ milita- *Tumultus in Panormo factus.*
ris munitionumque formam innova-
tis, munitissimos habet. In ea autem in
gens sub præcedētis anni finē tumultus
factus est, tali quidē occasione, Venerat
ad Gubernatorem civitatis, qui Regis
Hispani nomine, sedem suā ibi habet,
Marchio de monte maiore, præcipuus
quidem totius Siciliæ Dynasta, acturus
cum Gubernatore de frumento in civi
tate ad futuram necessitatem retinen-
do, quod ipse magna copia distrahere,
& ad loca alia transportare lucri sui cau

Anno 1604. sa solebat. Admonitionem huius Dynastæ iniquo Gubernator accipiens animo, increpare & acerba verborum amarulentia incessere eum cœpit, qui ad iracundiam commotus, pugionem vagina educit, Gubernatorem quasi percussurus. Interim videntes hoc satellites Hispani, hastis in Dynastam irruũt prostratumque in terram confodiunt. Hinc itaque ingens in urbe tumultus subito excitatur, congregantibus sese in unum & tormenta protrahentibus onerantibusq; omnia civibus. Magno autem conatu in satellites Hispanos impetum fecerunt, ita ut 80. eorum, quasi in momento trucidati perirent, & Gubernator ipsemet morti, quam præsentissimam cernebat, vix ereptus, in arcẽ perduci posset. Comes Fõtanus omnes hoc tempore negotiationes ex Mediolano per Rhetiam Alpestrem in Flandria Germaniaq; exerceri solitas inhibuit, Rhetis Alpestribus potissimum infensus, qui ut huic malo occurrerent, missis ad Helvetios legatis, opem adversus Fontanum implorarunt, at illi omne

Motus inter Comitem Fontanũ & Rhetos Alpestres.

mne ipsis auxilium denegarunt, quod Anno
fœdus quo Helvetiis coniuncti fuerant, 1604.
ante hæc tempora nõ servassent, Interea Comes, in finibus Rheticis castellũ excitari præsidarioque illud milite muniri iussit transitum populis istis, si forte bellum Mediolanensibus movere vellent prohibiturus. Etiamsi enim opem ab Helvetiis impetrare non possent, ipsos tamen viribus satis valere sciebat, ut aliquid moliri possent, quemadmodum etiam castello isti aliud statim propugnaculum opponere cœperant, quamvis id prohibere Fontanus modis omnibus niteretur. Atilii ab Helvetiis reiecti, legatos Venetias mittunt, ubi accepti honorifice & per aliquot dies liberalissime habiti sunt. Admissi autem in Senatum, causam legationis coram Duce & Senatoribus exponunt, promissionem auxilii adversus Fontanũ impetrant, & ad societatem admittuntur. Præstito igitur utrinque iuramento ingens à cãpanis & tympanis sonus in civitate excitatus, tormentorũq; ingentium exoneratio facta est, applaudenn-

Anno 1604. dentibus simul civibus, & lætitiam voce manibusque haud vulgarem præ se ferentibus. Cognita hac confœderatione, cœpit nonnihil Fontanus à rigore suo remittere, eratque spes non nulla fore, ut Rhetis Alpestribus reconciliaretur, At ipse non ita pridem ad institutũ reversus, adversari eis non minori quã antea studio & contentione cœpit, missis Valentiam aliquot cum insigni præsidio opificibus, qui castellum novum in finibus priori adiicerent. Itaque cum Comiti denunciassent, se nisi ab instituto cessaret, vi summa castella illa vel demolituros, vel iter sibi per montana paraturos, ad Galliæ Regem legatos miserunt, qui auxilio sese ipsis, si necessitas ita requireret affuturum promisit, Helvetios simul admonens, ut quid facto opus esset decernerent, qui daturos sese operam modis omnibus respondẽrũt, ut Hispani à finibus istius regionis arcerentur.

Gallia Rex proventus regni anno servabat

Cæterum Galliæ Rex subductis rationibus, omnes totius Regni proventus in tabulas referri, easque Reginæ tradi

tradi iussit, ut si forte debitum naturæ persolvere sese contingat, ipsa Parlamẽti vel Senatus Parisiensis auxilio, regnũ administrare posset donec filius suus Delphinus per ætatem regno idoneus redderetur, quod ipsum quidem ita à Senatu Parisiensi approbatum est. Cũ autem à Rege Persarum legatus Lutetiam adveniens, iuvari suum Regem peteret adversus Lusitanos, quos India orientali eiicere decrevisset, repulsam quemadmodum & ab Angliæ non ita pridem Rege passus est, respondente utroque pacem sibi iam cum Hispano esse, nec novis sese ansam motibus præbere velle. Accidit autem sub Anni huius initium, ut Pœnitentiarius Regis, Cottonius, qui Iesuitarum causam apud Regem quã diligentissime hactenus egerat, & in tanto apud eum honore fuerat, ut à latere eius vix unquam discedendi ipsi potestas daretur, noctur no tempore graviter vulneraretur, idq; tali occasione, Fuerat is in conventu monialium ad seram usque noctem, gravem aliquam ob causam detentus, do-

Anno 1604.

Persicus legatus in Gallia repulsam patitur.

Anno 1604. domū igitur cū repetiturus ciſio vehe-
retur, accurrit quidā, conſimili eorum
qui Regi ſunt à pedib. habitu indutus, vi
ſumque enim, à poſteriori currus parte
gladio petit, vulnus intra collum & hu-
merum ſatis periculoſum ei infligens.
Factum id erat audax admodum & te-
merarium, unde niſi noctis beneficio
autor ſeſe ſubduxiſſet, ingens in urbe tu-
multus exiſtere potuiſſet, imputabatur
enim ſtatim Hugenottis, At Rex Sor-
boniſtis ſive Academicis cauſam ad-
ſcribebat, qui reſtitutioni Ieſuitarum
conſentire nulla ratione voluerant.
Plerique tamen in ea erant ſenten-
tia, aliquem ex illis, qui Regi à pedibus
ſunt, autorem facti fuiſſe, idq; propter-
ea, quod pridie eius diei, de quo i undā
petulantia (id brio enim eum habue-
rant, & acubus in platea prætereuntem
pupugerant,) apud Regem conqueſtus
erat, obtinueratq, ut loris ſeu virgis ali-
qui eorū ad sāguinē uſq; cæd-rētur. Tā-
dē tamen cogni ūeſt, à Satellite quodā
factū id prof-ctū fuiſſe, quem Ciſarius
paulo ante ad murū ciſio compactū, fe-

re interfecerat, itaq; is ira & furore percitus, Cisiū insecutus stricto ense petiit, ignarus forsitan quis in eo veheretur. Cæterū fama huius rei, cū ad regem delata esset, ipse factū illud ægre admodū ferens, nō Medicū solum suū & Chirurgū ei dedit; sed & cū multis aulicis subín de eū invisit, ut ita diligēti Medicorū cura, sanitati brevi tēpore restitueretur. Anno 1604. *Cottonius conscelesit.*

Erant qui errore id factum fuisse suspicabantur, pernicie à persona Regis, in patrem hunc societatis Iesu conversa, paulo enim ante, Iuvenis quidam ex Delphinatu Galliæ oriundus, capitis supplicio Lutetiæ affectus erat, corpore postmodum in quatuor partes dissecto, quod apud Sabaudiæ Ducem professus fuisset, se vitæ Regis insidias structurū, Comprehensum enim eum Sabaudus & in vincula coniectum Lutetiam statim miserat, ubi licet serio quidem id locutus videri nolebat sed eo tantum fine, ut pecunia Sabaudum emungeret, tantum tamen abfuit, ut fides ei talia dicenti haberetur, ut potius insidiarum, quas alii postmodum Regi intentarent, autor fuisse existimatus sit. *Regi Galliæ insidiatus strucrum punitur.*

Anno 1604. Fama erat hoc tempore Ducē Mantuanum cum aliis Principibus Italiæ, Avenionem adventurum, ibiq; Papam ipsum expectari, ut baptismo Delphini adesset, verum de itinere Regis nihil etiamnum constabat, nec putabatur eum Avenione Lutetia iturum, si Papa eo nō veniisset. Interim Regina quotidie in senatum procedere cernebatur, ut de omnibus negotiis tempestive edocta, regnum si Rex forsitan moreretur, donec adolesceret Delphinus suus, administrare eo commodius posset. Rebus autem Regni Rosnius præest, idque vel invitis omnibus, cum suis potius quam Regni commodis promovendis studere videatur. Pinxeratis in conclavi suo, manu ut dicitur propria, aquilam, fulmen Iovis, unguibus suis tenentem, hac addita subscriptione. Quo iussa Iovis. Hoc multi quidem in contumeliam eius rapere videbantur, quasi tyrannidem eius, qua in omnes pariter divites pauperesq; sæviret, imago isthæc denotaret. Proventus Regis, qui facta omnium expensarum subtractio-

Regina negotiis publicis interest.

Rosnii aquila.

ctione, ſuperiori anno 1100000. coronatorum fuerant, hoc quidem anno ad ſeſqui milliones auri aſcenſuri dicebantur, unde cum pecunia rara in regno conſpiciatur, confœderatorum in Belgio Ordinum neceſſitatibus ſublevandis eam impendi, paſſim creditū eſt, Interim tamen Ieſuitarum partibus favere Regem, experientia loquebatur, ſperabat enim Rex cum multum patres iſti apud Pontificē poſſent, fore ut motum omnem, qui ſe forſitan mortuo, excitari queat à regno prohibeant, efficiantque ut hæredes ſui regnum tranquille poſſideant. Hinc brevi eos in regnum rurſus introductum iri, paſſim affirmatum eſt, licet Senatus Pariſienſis reſtitutioni ipſorum conſentire nollet, & aperte proteſtaretur, ſibi, cum reſtitutio iſta invitis omnibus fiat, damnum ſi quod inde Regi regnoque creari contingeret, imputari non debere.

Anno 1604. *Proventus annui Regis Galliæ.*

Rex Gallus Ieſuitis favet.

De morte Sultani Imperatoris Turcici alibi dictum eſt, Is paulo ante mortem ſuam, nobilem quendam, qui ex Alba Regali ante hæc tempora, una cū

Sultanus legatum ad Cæſarē mittit.

Anno 1604. aliis in captivitatem abductus fuerat, ad Cæsarem Pragam cum literis ablegaverat, quibus de pacis conditionibus perscriptum erat, quod nimirum si Valachiam Transylvaniamque sibi Cæsar traderet, ipse contra paratus esset, Agriam Albam Regalem, Budam & Canisiam, Cæsari reddere, & paci postmodum constanter operam dare. Quamvis autem spes pacis faciendæ non exigua orbi Christiano tum affulgescere videretur, Bassa Budensi tolerabiles cõditiones initio nostris proponente, nimirum quod pro Pesta, Hatua & Vaccio, Canisiam nostri & Agriam acciperent, Cæsarque ab omni tributo liber pro Rege Hungariæ à Sultano declararetur, attamen nihil nisi inducias Turcas quæsiviisse, & sub splendido hoc prætextu id egisse, ut vires reparare & civitates, quibus multum metuebant, novo commeatu & rebus ad bellum necessariis aliis munire atq; firmare possent, paulo post deprehẽsum cognitũq; est. Defuncto enim statim Imperatore & im-

Pacis inter Turcã & nostros spes frustranea.

& imperio ad filium eius, novem annorum puerum devoluto, Sultana eius mater, Bassæque penes quos vasti istius custodia & gubernatio imperii nunc esse dicitur, tractationem pacis non nisi iniquissimis conditionibus continuare & admittere ullam volebant, ablegato Budam nuncio, qui Bassam istum, ni laqueo vitam finire vellet, abstinere ab omni ulteriori actione iuberet. Anno 1604.

Turcæ pacem simulantes omnia fraudulenter agunt.

Sic igitur eundem hæc pacis tractatio, cum ea, quæ Annis 1599. & 1600. instituta erat finem consecuta est. Etsi enim Vetzier Bassa per Chamum Tartaricum non solum, sed & per literas Sultani nomine pacem Cæsari tum tēporis aliquoties obtulisset, & de instituenda eius tractatione sedulo egisset, addito, evitandæ suspicionis gratia, iuramento, quo non per Deum solum cæli & terræ conditorem, sed modo Turcis insolito, per libros Mosis, Psalmos Davidis, & Sacrosanctum Euangelium iuraverat, pacem Imperatori suo & sibi curæ cordiq; esse, attamen cum in insu-

Anno 1604. la quadam inter Budam & Strigonium media, legati utriusque partis convenissent, Tartari non solum, excursione facta Christianorum agros diripuerunt, sed & legatis multum de potentia sui Imperatoris jactantibus, & non solum omnium locorum à nostris expugnatorum restitutionem, sed sumptuum etiam hoc bello factorum recompensationem, efflagitantibus, Turcæ interim, Pappam corruptis pecunia præsidiariis occupare nitebantur, cumque ibi non successisset, Babotiū occupabāt, & positis ad Canisiam castris, cum per nostros de suscepta pacis tractatione admonerentur, oportere sese arcem tractumque istum universum Imperatori prius suo recuperare respondebant, quā tractationi isti finis imponeretur, ut ita nihil nisi fraudem spectare Turcas, & id operam dare, quomodo sub honesto hoc prætextu, induciarum tempore res suas promoveant, luce meridiana clarius existat.

Nam de bello hoc Hūgarico sub initium huius anni ex Constantinopoli varia

ria delata sunt, quibusdã novum Imperatorem sub cura & custodia Vetzieri, cum ingenti exercitu in Hungariam ipsum met processurum, asserentibus, aliis vero impeditum eum motibus Persicis, solum Vetzierem missurum dicẽtibus, qui quidem constituerit, Constantinopolim non reverti nisi Pannonia Transylvaniaque cum Valachia & Vienna potestati Turcicæ subiectis, eo enim fine in Gazophylacio oberrare aliquoties visus est, ut collectum magna copia aurum, in nummos monetariorum opera converteret, qui postmodũ militibus stipendiorum solutione excitandis servirent. Sunt qui affirmare nõ dubitent, Turcas hoc anno tantam facere præparationem ad bellum, ut velut de summa rei dimicaturi & extrema quæque tentaturi videantur, omnibus enim in unctum opificibus esse ut de rebus necessariis, ad bellum & Hungaricum Vetzieri, & Persicum, Cicalæ abunde prospiciant, qui terra mariq; Persarum Regem oppugnare debeat, cũ ex Aleppo, nobili illo emporio, ad quod

Anno 1604. *Rumores de bello Hungarico hoc anno continuando vani.*

Anno 1604. omnes merces deferuntur, quæ Damascum advehi solent, relatum sit, Babyloniam eum cum omni vicino tractu isto occupasse, & iam Revaniam oppugnare, multis civitatibus, quæ Turcicæ tyrannidis pertæsæ essent, suo imperio subiectis. Cæterum cum Rex Persarum vires & potentiam Sultani aliquo modo frangere & debilitare posse videatur, extiterunt nuper Constantinopoli quidam, qui non procul à Babylonia captum eum esse, affirmare nullo fundamento ausi sunt, eam solum ob causam, ut metum Christianis incuterent, quasi iam omnis vis belli in Hungariam convertenda foret, Nam Beglerbega quidem in Græciæ, de 80000. militibus conscribendis, mandatum accepit, & Hassan Bassa, Belgradum pro commeatu necessario conquirendo missus est, quin & ex Ægypto panis bis cocti, pulverisque tormentarii vim maximam, triremium beneficio Belgradum usque deferendam Vetzier Bassa curasse dicitur, quæ omnia ad terrorem Christianis incutiendum sunt

Rex Persarum Babyloniam occupat.

ac-

accommodata maxime. Anno

De pace equidem altum Constanti- 1604.
nopoli silentium est, suntque qui modis omnibus persuadere novo Sultano conantur, potentiam Ottomannicam, frangendo Regi Persarum, & Imperatori Christianorum superando, Walachiæque item & aliis regionibus debellandis satis superque sufficientem esse. Et verisimile quidem est novum hunc Imperatorem non tam negligentem fore, ut pater eius fuerat, fervidioris enim videtur esse ingenii, & iam multa parari tentoria, multasque triremes & naves instrui pro bello feliciter continuando, iussit. Sultanæ matri suæ, quam in palatio veteri asservari curat, ingentem vim auri 200000. Ducatorum summam excedentem, abstuliisse dicitur, ea tamen lege pecuniam istam contra Christianos in Hungaria utatur, & Viennam civitatem obsidione fortissima cingat, eaque pro voto suo expugnata, pecuniam istam matri tandem restituat. Brevi autem isto

Anno 1604 tempore quo imperio præfuit, trecentos iam proceres, in quorum numero & Bassam quendam, sub cuius gubernatione Pestam nostri occuparunt, fuisse perhibent, laqueo suffocari curavit, ut ita autoritatem sibi conciliaret & populum in officio retineret. Chamus Tartaricus duos ex nepotibus suis Constantinopolim non ita pridem miserat, qui novo Imperatori gratularentur, eos ipse humanissime accipiens splendida veste donavit.

Proceres Turcici multi interfecti.

Litera Turcici Imperatoris ad Regem Gallia.

Sultanus autem Imperator Turcicus defunctus, literas ad Regem Galliæ quam familiarissimas ante mortẽ suam scriptas, Melitam destinaverat, unde postmodum Regi sunt transmissæ. Earum inscriptio talis erat; Celeberrimo Monarchæ & Domino Christianæ fidei, electo Principi populorũ Messiæ, ad dirimendum quod inter Christianos est dissidium, Domino magnæ Maiestatis & divitiarum, defensori potentum primario, Henrico IV. Regi Galliæ, salutem & felicitatem perpetuam. Principio autem relatum ad se dicit de

An-

Anglis primo, quod ipsi sub specie & prætextu amicitiæ & fœderis inter Angliæ Regem & Sultanum intercedentis vim inferant Gallis, Venetis aliisque nationibus, Galliæ Regis nomine in mari negotiantibus, deinde de piratis, qui ex Mauritaniæ civitatibus Sultano subiectis subinde prodeunt, quod nimirum idem & ipsi faciant, neglecto omni amicitiæ respectu, quæ à multis iam annis inter Sultanum & Galliæ Regem existat. Dedisse igitur se hoc nomine & ad Angliæ Regem, & ad Mauritaniæ populos literas, & cum nondū à deprædationibus & populationibus istis abstinere eos audiat, non posse se intermittere, quin quo animo erga Regē sit declaret. Notum igitur iam se Regi facere affirmat, voluntatem suam nullo modo esse, ut subditi sui Gallis damnum aliquod inferant, aut cum piratis Anglis quicquam commune habeant. Hinc enim quāprimū cognoverit, Mustapham Bassam Tunetanum, cum Anglis facere, statim ab officio remotum, in aulam se vocasse, ut rationem Anno 1604.

Anno 1604.

administratæ provinciæ reddat, alio in locum eius constituto, cui serio iniunctum sit, ne quem ex Gallia in regionibus suis negotiationes exercentem lædi permittat. Sed & Solimannum Bassam Algeriensem, ab officio, hoc nomine remotum, ut facti sui rationem reddat vocatum esse, substituto in eius locũ viro peritissimo Albano Mesmio, qui quomodo fœdus amicitię inter personas principes conservandũ sit, cognitum optime & perspectũ habeat; Quin imo ut à periculo omni immunes maxime Galli essent, dedisse se supremo nauticarum rerum Moderatori suo Sinani Bassæ in mandatis, ut navibus Galliæ Regis, aliquas semper adiungat, quæ eas ad locum desideratum comitentur, salvasque & incolumes deducant atque reducant, Sperare igitur se extra periculum eas imposterum fore. Cæterum quod Angliæ Regem concernat, non videri sibi consultum asserit, ut antequam is legatum suum Constantinopolim, pro confirmatione fœderis, inter se & Reginam de-

Bassa quidam ab officio remotus.

fun-

functam initi mittat, literas ad eum hoc nomine scribat, de disse tamen Veziri suo præstantissimo, Hassani Bassæ in mandatis, ut ei per literas significaret, necessarium ante omnia esse, ut si amicitiam & fœdus cum Regina initum, conservatum velit, subditis suis imperet, ut à piraticis istis deprædationibus abstineant, addita protestatione, severissime imposterum in eos animadversum iri, qui piraticam exercere deprehensi fuerint, quamvis donec responsum à Rege accipiat, pœnam suspendere decreverit. Ad Regẽ vero Fessæ scripsisse se similiter ait, & ab eo petiisse, ut cũ piratę, quos cœperunt in Mauritania divendere soleant, nemini ex suis permittat, servum aliquem vel mancipium à piratis nisi licentia peculiariter prius impetrata emere, & ut in sui gratiam omnes captivos & in servitutem redactos Gallos libertate donare velit. Vt autem omnibus notum fiat, quanti Regem Galliæ faciat, transmittere se dicit, illas ipsas literas, tam ad Angliæ quam ad Fessæ Reges scriptas & mone- Anno 1604.

Anno 1604. monere, ut quo per certos homines utrique offerantur, Rex curare quam cõmodissime velit. Ad petitionem porro Regis, mandatum sese dedisse affirmat, omnibus maritimarum urbium portuumque in imperio suo gubernatoribus, ut perlustratis Christianorum navibus, in advectas merces diligenter inquirãt, illis qui honesta documenta negotiationis suæ proferre possint, vel etiam direptas aliis merces vehere deprehendantur, ad aulam Sultanicam remissis, ut pœnam subeant omnes, cui sub specie honestæ mercaturæ, piraticã exercere ausi fuerint. Sed & omnibus per Mauritaniam Bassis suis, iniunxisse se illud serio dicit, ne cui deprædationibus in mari operam dare, nisi cautione prius sufficienti de Gallis nulla iniuria lædendis & afficiendis facta permittãt, Tandem quod petat Rex, ut mercatores Angli ad restituendum Gallis damnum vi compellantur, existimare se affirmat, necessarium esse, ut respõsum à Rege Angliæ ad prædictas literas hac in parte prius expectetur, Promittit autem

tem si responsum dare Rex ille neglexerit, & nec legatum pro confirmando fœdere mittat, nec suos cohibeat & à deprædationibus eiusmodi avertat, se in Anglos per imperium suum passim nogotiantes, ita animadversurum, ut non solum damnū omne Gallis restituant, sed & Gallus animadvertat pro amicis eos & confœderatis amplius non haberi aut agnosci. Sub finem epistolæ clausulam addit, petens, ut Rex non solum amicitiæ & fœderi conservandis maiorum suorum more studeat, sed & ne hostibus suis Galli auxiliū aliquod præstent, modis omnibus cavere velit, Relatum enim ad se esse dicit, multos ex Regis subditis contra quam deceat, & fœderis ratio permittat, Regi Viennensi auxilio venire, qui quidem non modo rem sibi ingratam faciant, sed etiam hostes sese ipsius Galliæ Regis esse, reipsa satis declarent, unde non modo nemini liberum facere, sed & in bona vitamq; eorum, qui secus faxint, gravissime animadvertere Rex merito debeat. Anno 1604.

Literis hisce familiariter ad Regem Gal-

Anno 1604.

Litera Hassanis Bassæ ad Regem Angliæ perscripta

Galliæ perscriptis adiunctæ erant etiam literæ quas Vetzier Hassan Bassa, de mã dato Sultani ad Regem Angliæ dederat, tali quidem inscriptione: Electo Domino popalorum Messiæ, ad dirimendũ dissidium inter Christianos, Domino magnæ Maiestatis, Iacobo Angliæ Regi, vitam diuturnam & felicem. Principio autem Imperatorem suum & laudabiles eius antecessores, cum nullo unquam Christiano Principe, tali ratione fœdus iniisse pacemque & amicitiam coluisse ostendit, ut liceret ipsius subditis piraticam in mari exercere, depopulando mercatores, qui passim in suo regno negotiationes honestas exercerent, sed eos, qui talibus ausis delectarentur, pro hostibus & pacis publicæ turbatoribus semper habuisse. Deinde, Anglos quidem inquit, antequam Rex eorum cum invicto suo Imperatore amicitiam contraheret, modeste quidem & honeste sub patrocinio & nomine Regis Galliæ, negotiationes suas in imperio Turcico exercuisse, postquam autem ipsi Gal-

Gallorum & Venetorum exemplo, ſub proprio ſigno mercimonia facere expe terent, poteſtatem ipſis, ab Amurathe factam dicit, negotiationes ſuas ubiq; libere exercendi, hac tamen lege & cõditione, ut ita ſeſe gererent, quẽadmodum id authoritas & amicitia tanti Imperatoris poſtularet, itaq; bene longo tempore ſatis ſeſe modeſtos exhibuiſſe Anglos affirmat, donec non ita pridẽ ſub titulo mercaturæ, ſubditos ipſius Imperatoris iniuria afficere, Gallisque & Venetis nec non aliis cum commeatu in Imperio Turcico verſantibus, impugnando, deprædando, populandoque moleſti admodum eſſe cœperint, cauſam horum omnium nullam prætendentes aliam, quam quod hoſtium ſuorum bonis inſidias ſtruerent, quæ quidem etiã in ipſo hoc imperio divẽdere non vereantur. Quẽadmodũ igitur, dicit, Eliſabethæ quidẽ Reginæ per literas paulo ante obitũ eius, Imperator ſuus ſignificarit, ſe in naves & mercatores Anglos ſerio animadverſurũ, & ut illatũ cõfœderatis damnũ reſtituant effecturũ, Anno 1604.

ita,

Anno 1064. ita, cum decus imperii Turcici non permittat, ut Imperator ipsemet initium faciat, & primus hoc nomine aliquem compellet, iniunctum sibi esse, ut certiorem Regem per literas faciat, de mente Imperatoris sui, quod nimirum, si amicitiam & fœdus suum æque ut Regina olim expetat, legatum Constantinopolim mittat, omnesque depopulationes & iniurias, quas in naves hactenus exercere sub titulo mercaturæ, sine rubore & pudore Angli visi essent, prohibeat necesse sit, Hoc enim nisi fiat, commotum iri Imperatorem suum, ut in Anglos postmodum gravius aliquid statuat, eosque dum aliorum querimoniis satisfactum sit, captivos quasi detineat, cum præsertim authoritatis tanti imperatoris non permittat, ut vel subditi vel confœderati sui, sive Venetiani sint sive Angli, sive Galli, seu quicunque alii, hostiliter in amicos sæviant, vel etiam ut alii qui cum commeatu & salvi conductus literis, imperium suum ingrediuntur, damni quid in eo contrahant. Cum igitur constitutum

sit

sit imperatori suo petulantiam istam, nullo personarum respectu habito, in omnibus severiter vindicare, monet tandem Regem, ut quid sibi & utile & glorioſum sit cogitet, mentemque suam misso quamprimum responso aperiat. Anno 1604.

Literarum porro ad Regem Fessæ à Sultano exaratarum, inscriptio talis erat. Felici, potenti, diviti, illustri & spectabili Principi, magno Amel, Regi Fessæ felicitatem & salutem æternã. Principio autem querelas ad se detulisse Galliæ Regem asserit, quod Algierenses, Tunetani & alii sui subditi in finibus Regis Fessæ habitantes, naves Gallicas in mari oppugnent & deprædentur, hominesque in illis compræhensos, ne si facta forte inquisitione, apud eos peregrini aliqui inveniantur, in pœnas incidant, vicinis populis divendant. Quandoquidem igitur hoc à voluntate sua prorsus alienum sit, velitque ipse Gallos in imperio suo; ipsis suis subditis per omnia pareshaberi; ob benevolam Regum Galliæ erga se ab annis iam plurimis *Litera Sultani Turcici ad Regem Fessæ.*

Anno 1604. mis propensionem, non potuisse se inquit committere, quin in Bassas & Gubernatores istarum urbium animadverteret, eosque officiis & dignitate sua privaret, sed & necessarium se existimasse, hac de re dignitatem suam regiam certiorem facere, rogareque non solum ne cui subditorum suorū permittat amplius, ex Gallis aliquem pro mancipio & servo imposterū emere, cū illud iusticiæ à magno suo Prophetasibi tradite, contrarium sit atq; repugnet, sed & omnes eius nationis servos in libertatē asserere & dimittere ex suo regno velit, Quo ipso quidē non officiū solum sibi gratū facturus, sed & reipsa cōprobaturus sit, quā fœdus illud quod à multis iā annis inter Ottomannicam domum & Regem Galliæ fuit, conservatum & promotum modis omnibus cupiat.

Fames in Transylvania magna.

De motibus in Transylvania variis alibi dictū est, cū igitur perpetuis bellis ob Rebellantium & seditiones subinde excitantium petulantiam omnia vastarentur, tanta iam annonæ caritas & rerum omnium penuria ibi existere cœpit,

cœpit, ut agricolæ passim in pagis habitantes, equorum aliorumque pecorum faime extinctorum cadavera in cibum assumerent, felesque & canes famem explere hominbus cogerentur. Itaque ut malo huic medicina adhiberetur, & motibus illis finis tandem fieret, cum præsertim ex Mullebaco ad Georgium Bastam, ne à liberis quidem suis ob famis magnitudinem parentes abstinere perscriptum esset, in Comitiis Devanis conclusum est, Nobilibus, qui ob seditionem capitis supplicio affiçiendi essent, vitā cū trib. bonorū suorū omniū partib. donandā, & quartæ bonorū partis pecunia redimendæ, potestatē faciendā esse, Quod vero ad bona mobilia eorū attinet, qui durante seditione mortui essent, ea fisco Cæsaris applicata revocari nō debere. Cæterū vini frugumq; decimas Cameræ Cæsaris inferendas, & religionē præter Romanā Catholicā per universā regionē nullā tolerandā esse. Cronostadium porro & Clausēburgū civitates, triū septimanarū spacio numerare Cæsari debere, hāc qui-

Anno 1604.

Conclusiones in Comitiis Devanis factæ.

Anno 1604. quidem 20000. at illam 80000. Iachimicos, ita ut Magistratus istarum civitatum, potestatem omnem cum clavibus Gubernatori & præfectis præsidiariorum quamprimum offerat, & Nobiles, qui rebellantium numero accenseri nolint, literas, absolutionis à seditione testes, à Duce exercitus generali accipiant.

Inundatio Hispalis magna. Hispalis urbs maritima clarissima, forma rotunda, ædium pulcherrimarũ frequentia nitidissime cultra, totius hodie Hispaniæ emporium florentissimũ habetur, ex variis mundi partibus, maxime vero ex India occidentali quæstus incredibiles faciens, in ea autem sub initium huius anni tanta maris inundatio facta est, ut non solum cellæ vinariæ & loca subterranea omnia repleta, sed & tota fere civitas aquis obruta fuerit, nec quisquam existat, tam provectæ ætatis senex, qui iunndationem tam magnã & formidabilem unquam se vidisse, recordari possit, Ad tantam enim aquæ ascenderant altitudinem, ut multa iam ædificia illis superarentur, & si vel 6. horarum

rarum ſpacio perſtitiſſent, ſubverſionem maximæ civitatis partis, ſequi neceſſe fuiſſet. Perierunt autem inundatione iſta multi & homines & pecora, tantumque mercium diſſipatum eſt, ut damnum quod civitas iſta breviſſimo tempore tum contraxit, duas ſuperare myriades auri perhibeatur. Anno 1604.

Seditioſi in Belgio quibus conditionibus Graviam à Mauritio inhabitandam acceperint.

Seditioſorum in Belgio militum numerus mirum in modum hactenus creverat, itaq; cum Hoſtratam omnibus recipiendis non ſufficere amplius viderent, cum Ordinibus confœderatis de loco quodam alio ampliore ſibi concedendo, ubi commodius hiberna re poſſent, tempeſtive egerunt, eligentes præ cæteris Graviam, quod civitas iſta conatibus ſuis, prodeſſe plurimũ videretur, Quamvis autem petitio hæc non parum initio Ordinibus ſuſpecta eſſet, & varia cogitandi materiam præberet, Ordinesque de Wachtendunco vel Berka facilius ipſis gratificaturi fuiſſent, tandem tamen petitioni conſentientes, Graviam ipſis permiſerunt, ob cauſas de quibus alibi dictum eſt. Non

Anno 1604. autem nude & simpliciter eam habitandam obtinuerunt, sed certis cum conditionib. quas hic iam annotare libet. Principio enim permissio istius civitatis non nisi ad annum unum ipsis facta est, si tamen interea Archiduci accepta solutione conciliari eos nō contingat, idq; hac lege, ut Ordines transitū per civitatē propeditatu equitatuq; suo quocunq; tēpore traducendo, die & nocte liberū semper retineāt, An: equam autē civitatem occuparēt, iuramentum Ordinibus, Mauritioq; præstandum ipsis fuit, quod Hispaniæ Regem & Archiducem hostiliter oppugnare & insectari vellent, donec vel cum eo reconciliarentur, vel civitatē etiam inhabitarent, utq; id eo melius fieret, Ordines exercitu suo ipsis se adfuturos, liberum per flumina transitum semper daturos, ac si intra præstitutum tempus in gratiam cum Archiduce non revertantur, de tēporis prorogatione mature deliberaturos promiserunt.

Quod si Mauritium interea expeditionem aliquam facere contingat, officii ipsorum esse voluerunt Ordines,

ut ea de re admoniti, castra statim se- Anno
quantur, & parem militibus ordinariis 1604.
operam præstent, Mauritio, vel si absit
ille, Guilielmo-Henrico, Ernesto & Ludovico Nassoviis, in omnibus morigeri & obtemperantes, Propriis autem sumptibus, cum universa phalange in bellum proficiscantur exceptis octingentis vel circiter, in præsidio civitatis pro arbitrio Mauricii relictis, ubi si expeditio diuturnior fuerit, & ipsi ea impediti, nihil pro sustentatione sua colligere possint, voluerunt Ordines, ut ipsis de commeatu bellico, armis nimirum & victu necessario interea prospiceretur, & quamvis usitatū hactenus nō fuerit, civitates si quæ expugnarentur, aliquo onere gravare, attamen si aliquā expugnari interea contingat, beneficiū inde ipsis aliquod, habita tamen salutis & tranquillitatis publicæ ratione præstaretur. Noluerūt tamē Ordines vel ad cuniculos vel ad impressionē eos adhibendos esse, sed ut stationē saltem suam castris distinctam obtinerent & hostem accessu prohiberent.

Anno 1064. Civitatis curam habere eos anteomnia diligentem voluerunt, & si forsitan obsidione cingeretur, eam pro virili sua tueri, admittentes tamen quantū sufficere Mauritio videretur præsidium. Quamprimum autem facta cum Hispano transactione, solutionem acceperint, & Archiduci iterum reconciliati fuerint, voluerunt Ordines, civitatem sibi restitui, ea forma & modo quo eam accepissent, relictis in ea omnibus munitionib. & ædificiis quæ à seditiosis interea temporis extructa ibi fuerint. Facta autem porro civitatis restitutione, nihil hostiliter adversus Ordines, 15. proximorum dierum spacio tētare eos voluerunt, & in civitate quidem semper constitutos ab Ordinibus præfectos & Gubernatores secum habere, quibus cū familiariter vivant, & à quibus etiam symbola excubitoria accipiant. Literas, tympanistas aut feciales ad Regem Hispaniæ & Archiduci eorumque præfectos, nullas mittant, nullasque ab iisdem accipiant sine præscitu & communicatione Consilii, cum Ordinibus aut vicem

vicem eorum in civitate vel castris te- Anno
nentibus. Quin imo tractationem et- 1604.
iam cum legatis Archiducis nullam in-
ire aut suscipere debuerunt, nisi præsen-
tibus & tractationem moderantibus
Ordinum legatis, & id quidem diligen-
ter cavere, ne quid cum legatis Archi-
ducis, de civitate Hispanis tradenda a-
gant, sub pœna amissionis beneficii ab
Ordinibus ipsis concessi.

Contributiones præterea nullas exi-
gere eos voluerunt, à civitatibus & pagis
Ordinum Confœderatorum potestati
subiectis, sed in vniversum abstinere à
Geldria, Hollandia, Selandia, Vltraie-
cto, Frisia & aliis civitatibus provinciis-
que ad iurisdictionem Ordinum perti-
nentibus, parcentes simul etiam locis
illis quæ domui Nassoviæ sunt subiecta.
Sique Ordinibus interea vel ipsi etiam
Mauritio consultum videatur, ut facta
permutatione, in aliam aliquam Civi-
tatem concedant, voluerunt Ordines
eos absque tergiversatione dicto obedi-
entes esse. Sed & obsides octo ex singulis
nempe nationib. duos, sibi dare volue-

Anno 1604. runt, non quidem quos ipsi sed quos Ordines & Mauritius ad munus hoc idoneos iudicaturi essent, qui subinde quidem mutati honeste tamen semper sustentari ab Ordinibus debeant.

A politica gubernatione abstinere eos omnino voluerunt, nec civibus onerosi esse, præterquam quod diversoria apud eos more militum aliorũ habeant. In religione, qualis iam ibi doceatur nihil eos mutare voluerũt, & templo quidem civibus relicto, ad religionis suæ exercitia locum sibi alium eligere. Cum civibus eos tranquille & amice vivere voluerunt, nec præter centenis peditibus & tercẽtenis equitibus eos gravare, reliquis in stabulis & tabernis, eo fine peculiariter parãdis, relictis, ne propter multitudinem militum domibus suis cedere cives cogantur. Ab armamentariis similiter, quæ rebus ad bellũ necessariis omnib. satis instructa ibi habentur, plane abstinere eos voluerunt, administratione eorum, necessitatis tamen casu excepto, Ordinum Præfectis & Commissariis relicta.

Con-

Consenserunt porro Ordines ut ab omnibus oneribus, teloniis & tributis, quemadmodū in castris, ita in civitate etiam liberi sint, hac tamen lege, ut ipsi etiam ab omni telonio, portorio tributoq; quæ nomine Ordinū ibi colliguntur, abstineant, legatos Ordinū si necesse sit in colligēda eiusmodi pecunia pro virili sua iuvent. Civitatibus & locis aliis Romano Imperio subiectis, vim nullam inferant, in Rheno vel in aliis fluminibus, in pernitiem Mercatorum nihil tentent, nec mercimonia & negotiationes terra mariq; exerceri solitas aliquo modo impediant. Anno 1604.

Cæterum si ab Hispaniæ Rege & Archiduce solutione non impetrata, Ordinū auxilio collegerint ex Provinciis Belgicis, quantum debito ipsorum respondeat, liberum cuilibet Ordines esse voluerūt, cuicunq; parti servire, dato singulis id petentib. cōmeatu & testimonio honesto, cuius beneficio, quocunq; devenerit, promoveatur. Quam primū a Graviam Ordinib. restituerint, promiserunt Ordines arcem Hostratam ipsis

sine

Anno 1604. sine impensarum in eam interea factarum restitutione reddere, nisi ea ab Hispanis interim vi aut fraude expugnata forsitan fuerit.

Ordinum militibus, si quando cum seditiosis coniuncti in prædam exierint partem tertiam omniũ acquisitorum bonorum dare eos voluerunt, præda quam soli egerint, solis sibi reservata. Tandem coacti sunt Seditiosorum ductores primarii, iuramentum Ordinibus præstare, quod omnes hos articulos sanctè servare, & ne à suis violenter sedulo cavere vellent, omnibus qui contra eos sive directè sive indirectè, verbis factisve delicturi sint, capitali animadversione punitis, quod iuramentum quidem etiam Ordines, ab omnibus qui seditiosorum partibus postmodo accessuri essent, uti exigeretur serio mandarunt.

Seditiosi contra iuramentũ suum loca Imperio subiecta ingrediuntur.

His ítaq; conditionibus in Graviam civitatem admissi, multo quam antea formidabiliores Provinciis Belgicis esse cœperunt. Et quamvis iureiurando promisissent, quod à civitatibus & pagis

pagis Imperii abstinere vellent, nec illis etiam oneri esse, qui neutri parti essent addicti, promissis tamen hac in parte non steterunt, sed Marchicis passim & Berkensibus, Lippensibusq; & Susatensibus subinde molesti, prædam satis magnã egerunt, & sane Westphali ut eos sibi æquiores aliquo modo redderent, duas torques aureas, præcipuis duobus seditiosorum militum tribunis obtulerunt, quarum singulæ precium 200. Coronatorum fere excessisse dicuntur, Ducemq; eorũ supremum, poculo inaurato miræ capacitatis donarunt. Paterbornicus autem Episcopus, cum audisset eos suam ditionem invadere constituisse, ut illud prohiberet legatos misit, qui ad Verlam & Vnnam constituti, cum illis agerent, ut accepta 12000. Ioachimicorũ sũma iter reflecterent, At illi cum accepta post longam tractationem pecunia ex diœcesi Episcopatus istius domum redire constituissent, in cohortes aliquot Rusticorum inciderunt, qui magno numero ad propulsandam seditiosorum iniuriam in finibus con-

Anno 1604.

Westphali honoraria seditiosis offerunt.

Anno 1604. convenerant, Cumque ex vltima sedi-
tiosorum turma, duos forte à Rusti-
cis occiderentur, statim conversi reli-
qui magno eos impetu invaserunt, ul-
tra 400. occidentes, & tuguria multa i-
gne perdentes.

Rusticorũ multi à Seditiosis infinitum Paterbornicis cæs.

Commovit hæc petulantia vicinos aliquot Principes, ut quomodo malo huic finem tandem facerent deliberaturi, Essenam, quasi ad Comitia Consiliarios suos mitterent, sed cum ibi proponeretur, Principem aliquem virtute & authoritate præstantem eligendum esse, qui compescendis & cohibendis Seditiosis istis præficeretur, & vero inter Consiliarios & Ordines ibi congregatos, convenire hac de re non posset, re infecta iterum discessum est.

Comitia Essena habita.

Cæterum cum metueretur passim, Seditiosos tandem partibus Mauritii plane accessuros, qui tantis adiutus copiis expeditionem aliquam satis periculosam facturus esset, tympanistam ad eos Archidux Graviam ablegavit, qui & veniam delictorum & honestam satisfactionem ipsis offerret, si redire

Seditiosi ut ad officium redeant per tympanistam monentur.

rursus ad officium, & sub Archiduce me rere vellent, Huic Duces Seditiosorum habita prius per biduum deliberatione id responsi dederunt, paratos sese fuisse semper stipendium sub Archiduce facere, nec id quidem etiamnum recusare, dum modo collatis rationibus, si solutio nõ simul & semel fieri possit, Venloa vel Liera ipsis oppignoretur, alioquin enim melius remedium quam præsentem pecuniam, adhiberi nullum posse dicebant. Anno 1604.

Iesuitæ qua occasione ex Gallia An. 1594. ejecti.

Cum societatis Iesu patres, hoc anno in Galliam iterum recepti, & suis sedibus restituti sint, visum est paucula hic annotare, & de occasione qua Regno superioribus annis ejecti fuerint, & de conditionibus, quibus iam iterum sint admissi. Sub finem igitur anni 1594. parricidium in Regem tentatum fuit à Ioanne quodam Chastellio, de quo extant adhuc literæ Regis in hanc sententiam scriptæ. Charissimi & dilectissimi, inquit, ex his intelligetis infortunium quod mihi paratum fuerat & quomodo Dei misericordia me ab eo mirabiliter

Anno 1604

Litera Regis Galliæ de parricidio Anno 1594. in scintesio.

liter liberavit. Altera hora, nec amplius effluxerat, post reditum meum ex expeditione è Picardia, & adhuc ocreatus eram, ac circumstabant mihi Sobrini mei, Princeps à Conti, & Comites Suessionis & sancti Pauli; cum triginta aut quadraginta præcipuorum magnatum & nobilium huius aulæ. Cum nobiles à Ragni & Montigni, qui me adhuc non salutaverant, exciperem, adolescens quidam vocatus Ioannes Chastel, corpore brevis, ætate annorum octodecim aut novendecim, qui cum turba in aulam irrepserat à nullo fere observatus, subito irrupit, ut me cultro quem manu gestabat transfigeret, sed ictus, (quia corpus demittebam, ut prædictos nobiles salutãdi causa inclinatos, sublevarem) in faciem tantum, ad labii superioris latus dextrum illatus fuit, & cum vulnere dẽtem unum fregit, Perditus ille subito comprahensus fuit, & cum aliquantulũ prima fronte factum abnuisset, tandem nulla vi cogente id fassus est. Nihil tamen adhuc extorquere potuimus, præterquam ipsum, in collegio Iesuitarum

rum triennio educatum fuisse, in quo creditur præclaram illam doctrinam hausisse. Quod prius occurrit agendum fuit, ut pro tanto & peculiari in me beneficio, Deo gratias redderemus, qui me ab hoc homicidio tutatus esset. Quâ propter subito, *Te Deum*, in omnibus urbis templis cantatum fuit, cives quoque ignes, signa lætitiæ in omnibus cõpitis excitarunt, Vulnus Dei beneficio tam leve est, ut propterea in lectum maturius ituri non simus, & speramus nos oportunitatẽ non prætermissuros, cuius causa reditũ nostrũ accelerauimus, ut scilicet festum & cerẽonias Ordinis S. Spiritus celebraremus. Diutius autẽ expectare nolui, quin vos de his certiores facerem, ne vos reliquique fideles mei, nuncio aliunde citius percepto in sollicitudinem incideretis, inprimis vero, ut publice Deo gratias reddere iubeatis, & precibus petatis, ut me ab eiusmodi parricidiis, sub sancta clientela semper tueri velit, Ad quæ cum hostes nostri tam sæpius confugiant, manifeste perfidam & sceleratam suam men- Anno 1064.

Anno 1604. tē declarant, & se à divino favore deser-
tos animadvertētes, perquā execranda
consilia amplectūtur, quæ à Deo ut spe-
ramus in ipsorū ruinā convertētur, &c.

Libellus supplex ab Academia Parisiensi contra Iesuitas, Parlamēto Anno 1594. exhibitus.

Cæterū rumore per universam Lu-
tetiā, de nefario hoc parricidio, percre-
bescente, cū causa Chastellii huius ad cu
riā Parlamenti iudicāda devolveretur,
Academia simul Parisiensis libellū sup-
plicem, assessorib. Parlamenti exhibuit,
tali sententia cōceptum. Submisse sup-
plicant Rector, Decani & facultates, na-
tionū procuratores, suffragatores & Stu
diosi Academiæ Parisiensis, dicentes se
iā pridē conquestos esse apud curiā, de
ingenti confusione quā in Academia
peperit nova quædam secta ex Hispania
& locis finitimis oriūda ambitiosū titu
lū societatis nominis Iesu sibi asciscens,
quę semper, sed his potissimū postremis
civilib. bellis, sese factiosam, & fautricē
Hispanicæ coniurationis exhibuit, ad
status nostri eversionē, non in hac urbe
Parisiensi tantum, sed in omnibus aliis
regni locis. Quod quidem à primo ipso
rum adventu prospectum fuerat à præ-

di-

dictis ſupplicatoribus,& præſertim de- Anno
creto facultatis Theologicę,quod tunc 1604.
temporis interpoſitum fuit, quoniam
hæc ſecta introducta videbatur ad Or-
dinem Eccleſiæ tum politicum tum
Hierarchicum & in primis Academiæ
ſubvertendum, abnuens Rectori obſe-
quium, atque adeo Archiepiſcopis, E-
piſcopis,Curionibus & aliis in Eccleſia
ſuperioribus. Effluxerunt autem anni
triginta, ex quo ſuffragatores prædicti
ſocietatis nomen Ieſu ſibi arrogantes
cum in hac urbe tantum,& non in aliis
regni oppidis venenum ſuum effudiſ-
ſent, libellos ſupplices obtulerunt,po-
ſtulātes in Academiā noſtrā aſciſci,Quę
cauſa cū primū propoſita fuiſſet ad futu
ri cōceſſus diſceptationē reiecta fuit, &
ſtatutū, ut res in eodē ſtatu relinquerē-
tur,ꝙ erat prohibere,quo minus Ieſuitę
quicquam in illius ſententię prę̄iudiciū
aggrederētur. Cui tamē non ſatis fece-
runt,ſed ꝙ gravius fuit,funeſtis ſuis cōſi
liis res politicas perturbantes miniſtros
& exploratores ſe in Gallia geſſerunt,ut
Hiſpani cōmoda promoverent,ſicut o-

Anno 1604. mnibus manifestum fuit. Hæc causa ad futuros concessus relata, non amplius in iudicium venit, nec utrinque actiones excerptæ fuerunt, ac proinde penitus concidit. His ergo rite examinatis, Domini, placeat vobis, decreto vestro, hanc sectam, non solum ex Academia, sed ex universo Franciæ solo eliminare & sic ex iure & æquo statuetis.

Patet ex hisce literis credo, qua occasione Regno Galliæ electi tum Iesuitæ fuerint, Nam eodem scripto quo sententia in Chastellium lata continebatur, declaratum simul à Parlamenti assessoribus est, ut omnes Sacerdotes Collegii Claremontii, & omnes alii prædictæ societati addicti, tanquam corruptores iuventutis, perturbatores publicæ tranquillitatis, inimici Regis & Regni, spacio trium dierum à promulgatione edicti, Lutetia & aliis urbibus atque locis, ubi sua tenent collegia, discederent, & intra 15. subsequentes dies, toto Regno exirent, nisi tanquã læsæ Maiestatis rei pœnas subire gravissimas vellent.

Sententia in Iesuitas Anno 1594. Parisiis lata.

Coge-

Cogebantur igitur tum Ieſuitæ ſolum vertere, & quamvis multa oppone rent, ſed & ſcriptis apud Regem cauſam ſuam agere variis niterentur, attamen uti admitterentur iterũ, impetrare nõ poterant, donec iam exacto fere decennio ad crebram Principum aliquot & ipſius Pontificis interceſſionem, in gratiam Reginæ, patribus illis bene faventis, à Rege iterum recepti, & in quatuordecim civitates introducti ſunt, quæ numerantur Tholoſa, Aux, Agen, Rodes, Burdegalum, Pergeux, Limoges, Turnoy, Le Puy, Arbeſnes, Deſire, Lugdunum, Dionyſius, & de la Fleſchy in Anſou, Facta eſt autem admiſſio eorum non ſimpliciter, ſed ſequentibus conditionibus, primo ne ulla collegia in civitatibus Regni, aut provinciis aliis Regi ſubiectis, ſine expreſſa Regis permiſſione inſtituant, ſub pœna amiſſionis omnium privilegiorum & beneficii huius ex mera Regis gratia ipſis conceſſi. Deinde, ut omnes natione Galli ſint, nec quenquam alterius nationis in collegia ſua admittant aut recipiant, ſine

Anno 1604.

Ieſuitæ quibus conditionibus in Gallia rurſus admiſſi ſint.

Anno 1604. Regis peculiari permissu, peregrinis si qui iã inter ipsos inveniantur (exceptis tamẽ illis qui Auignoniũ patriã agnoscunt) omnib. à se dimissis, 3. ut semper aliquem habeant natione Gallum, qui Regi à sacris concionibus esse, & de omnib. negotiis rationem nomine totius societatis ipsi reddere possit. Quarto ut omnes vel iã admissi vel imposterũ forsitan admittendi, purũ præstent iuramentũ se nihil molituros, qp in perniciẽ Regis, vel Regni salutisq; publicæ vergere possit, omnibus qui iusiurandũ illud dare recusaverint reiectis. Quinto, ne quid bonorũ immobilium sive emptionis sive dationis titulo ad sese transferant, nec ab illis etiã accipiãt, qui transitũ ad societatem suã fecerint, sed hæredib. legitimis id omne relinquant, & legib. statutisq; Regni politicis, ut Ordines reliqui omnes, se libẽter submittãt. Sexto ne quid vel Ecclesiasticorum vel politicorũ negotiorũ suscipiãt tractent que in præiudicium Episcoporũ, Capitulorũ & Vniversitatũ Regni sed ordinariis constitutionib. per omnia se cõformes gerant. Septimo, ut nulla Sacra

menta, & ne pœnitentiæ quidem, aliis quam sui Ordinis hominibus administrent, sine permissu Archiepiscoporum & Curiarum quib. singuli sint subiecti. Anno 1604.

Cæterum ut habeant unde vivere & sustentare sese possint, non permissum ipsis solũ à Rege est, uti frui reditib. quorũ ante hæc tempora participes fuerũt, sine ullo impedimento, sed & de provẽtu annuo 1000. coronatorũ, ad 20. annos in urbe Parisiensi, ipsis liberalissime prospectum est, literis super hac re scriptis & sigillo Regio munitis.

Sororem Regis, Galliæ Madamã Lotharingiç Ducissam ꝙ intumescere plus solito videretur, uterũ gestare, fama hactenus fuit, sed tumore magis magisq; invalescente, & medicinã omnẽ respuente, Nanceii tandẽ, ꝙ Lotharingicarũ urbiũ caput est, duplici fossarũ & murorum ambitu cinctũ, debitũ naturæ persolvens, è vivis excessit. Fuerat hęc semper Hugenottarũ partib. itaq; ea iã è vivis sublata, cũ anni Hugenottis præstituti finẽ suũ assecuti essent, Patres societatis & alii Ecclesiastici, regem statim acces-

Gallia Regia soror moritur.

Hugenottis in Gallia anni prorogantur.

Anno 1604. acceſſerunt, monentes ut de recuperan dis quæ Hugenottis conceſſæ fuerant civitatibus, cogitationem mature ſuſciperet, & vel armis, ſi cedere recuſarēt, eas vindicaret. At vero Rex pacis quam belli ſtudioſior, terminum prorogavit, & ad tres etiamnum annos cum illis tranſegit.

Rex Perſarum pacem cum Sultano fieri diſſuadet.

Perſarum Rex non infeliciter ſane hactenus arma contra Sultanū geſſit, aliquot enim urbes ei eripuit, & vero iã, coniunctis cum rebelli quodam & ſeditioſo Baſſa, qui in Bagaded, reliquiis nempe pervetuſtæ urbis Babyloniæ, ſedem ſuam habet, viribus, exercitum ex 100000. conſtantē, & 150. tormenta ænea ſecum ducentem, in duas partes diviſit, Cairum, maximam Africæ urbem, ubi tanta eſt hominum multitudo, ut omnis fere generis linguæ & ſcripturæ ibi reperiri dicantur, cum toto iſto tractu, poteſtati ſuæ ſubiecturus. Cũ autem relatum ad ipſum eſſet, de tractatione pacis inter Cæſarem & Sultanum ſuſcepta, Sacerdotem quendam Luſitanum, ex illis quos Pontifex ei ante

se hæc tempora transmiserat, Romam cum literis ablegavit, perendo à Pontifice monetat Cæsarem, ne pacem cum Sultano ineat, sed bellum continuare velit, quod & ipse facere omnino constituerit, Sacerdos hic omnia ea cõfirmabat, quæ de bello Persico dicta hactenus fuerunt, affirmans simul & hoc, Christianos sub Rege isto, benè admodum haberi & tractari. Anno 1604.

Sane quod ad pacis istam simulationem magis quam tractationem attinet eam fraudulentam fuisse, tempus magis magisque aperuit. Præterquam enim q̃ instituto iam colloquio, Pestam conscendere conarentur, animadversum est, id potissimum egisse Turcas, ut durantibus induciis, de necessario cõmeatu sibi prospicerent, quem Budam, Albamq; regalem, Agriam & ad loca alia multis plaustris transvehere videbãtur, sed & pecuniam stipendiis militum destinatam, 4. curribus cum comitatu aliquot equitum, Agriam traduxerunt, eoque facto iam excursionibus iterum & populationibus operam dare visi sunt.

Pacis Turcarum simulatio fraudulenta.

Turcæ populationibus iterũ studere.

ANNO 1604. Hinc ab Husaris sub initium Martii tres Turcæ, qui cum 800. aliis in prædam processerant, comprænensi sunt, qui cum examinarentur, miratos fuisse Turcas responderunt Christianorum simplicitatem, quod nimirum os sibi ira subliniri passi fuissent, & fucum non olfacientes, tantum Turcis temporis permisissent, ut de rebus necessariis sibi prospicere commode potuerint. Nam & clam novo Sultano facta esse omnia & pacem istum non expetiturum, nisi in extremas forsiran à Persarum Rege coniiciatur angustias. Cum igitur nostri viderent, populationibus Turcas iterum studere, qui Papam & Vesprinium tenent præsidiarii, coniunctis viribus prædam acturi, versus Albam Regalem contenderunt, incidentes vero in Turcas aliquot, ovium 300. gregem ad civitatem istam agentes, Turcas illos una cum ovibus comprænsos secum abduxerunt. Ex Buda autem hoc tempore 20. Christiani captivitatem effugientes, Pestam transierunt, custodibus suis interfectis.

Cæte-

Cæterum Sultanus cum decimum ætatis annum nondū compleverit, variolis sive morbillis, puerili morbo correptus, per quatuordecim dies tam graviter decubuit, ut de vita eius desperantes proceres, pro adducendo iuniore eius fratre, nuncios ablegarint, imperio cum, defuncto Sultano, præfecturi. At miseram eius sortem! Sultano enim convalescente, & ex morte quasi in vitam restituto, iunior eius iussu laqueo suffocatus, vitam cum morte commutavit, inque vivis esse desiit. Anno 6104. *Sultanus variolis correptus decumbit.*

De Zellalyo seditiosorū in Asia Duce, libro secūdo diximus, quomodo nimirū, promissis Sultani ex Asia evocatus, in Hūgariā venerit, & Bosnēsem regionē, profligato inde Zeffere Bassa, occuparit. Is igitur cū universā regionem pervagatus, omnia oppida & pagos iura mēto sibi adstrinxisset, & iā à periculo omni tut⁹ sibi esse videretur, Zeffer Bassa cū reparato interim exercitu, ipsū ex improviso invadit, nihilq; tale metuentē opprimit, ita ut regione profligatus, sub initiū Mar. Albā Regalē redierit. Paulo *Zellalyus ex Bosna ejectus. Temesvaria Bassa constituitur.*

Anno 1604.

lo poſt autem Zeffer quidem Baſſa, fatis conceſſit, At Turcici proceres, ſatis iam in proprium ſævitum eſſe ſanguinem putantes, ne maioribus malis cauſam darent, turbis hiſce medicinam eiuſmodi adhibuerunt, ut Zellalyus quidem Temeſvariam obtineret, Begedes vero Baſſa, qui eam tum tenebat, Boſnenſi regioni præficeretur.

Zeffer Baſſa Boſnenſis moritur.

Boſonium nobiliſſima Hungariæ vrbs eſt, vetus & elegans, In ea ſub finem Martii, comitia celebrari debebant, quibus de belli Hungarici continuatione deliberaretur, præſente, & deliberationem moderante ſereniſſimo Auſtriæ Duce Matthia, qui cum decimo nono Martii die, cum equitatu ſuo adveniret, periculoſum admodum & formidabile incendium ſub ipſum eius ingreſſum, in civitate ſubito exortum eſt, quo centum fere ædificia conflagrarunt, itaque lætitiæ quidem ſigna, adhiberi alias ſolita, omnia tum intermiſſa ſunt, fuitque ſenatus in excipiendo & ſalutando Archiduce brevis admodum, univerſo nempe populo obſtupeſcen-

Incendium Boſonii in Hungaria magnum.

pescente, & ad sedandum incendium pleno cursu properante. Anno 1604.

Celebrabantur eodem tempore etiam comitia Claudiopoli in Transylvania, sed nobilitas non solum ægre adduci ad ea potuerat, verum etiam difficilē sese ad deliberandum de propositis quæstionibus & articulis præbuit, propterea, quod regionem omnem perpetuis istis rebellantium motibus & bellis ita exhaustam & desolatam dicerent, ut populus passim fame periret, qui licet agro iterum colendo operam dare cœpisset, nihil tamen proficere posset, milite, antequam fruges maturitatem assequi, & ad horrea convehi possent, omnia rursus depascente & vastante. Basta igitur animadvertens nobiles illos recto pede non incedere, sed novi aliquid iterum moliri, tres ex illis comprehensos, in desolatum abduci monasteriū curavit, ubi muro inclusi fame perierunt, ut aliis terrori essent, quemadmodum postea ab amicis, quo devenissent ignorantibus, ibi forte reperti, & terræ mandati sunt. *Comitia Claudiopoli celebrata.*

Cæ-

Anno 1604 Cæterum Basta finitis Comitiis Cronostadium contendit, ubi à Radulensi Walachiæ Waida expectabatur, qui Episcopum quendam, qui novum in Walachia Waidam per proditionem constituere voluerat, captivum Bastæ tradendum secum adduxerat.

Motus in Moscovia De motibus in Moscovia alibi etiam dictum est, Nondum autem compositi sunt, sed etiamnum durant, licet enim, qui hæredē sese regni Moscovitici profitetur, auxilium à Poloniæ Rege impetrare adversus modernum Moscoviæ magnum Ducem non potuerit, non tamen propterea cessandum putavit, sed factionibus studens, multas sibi per Moscoviam passim familias conciliavit, Itaque magnus Dux Moscoviæ cum suis non per omnia fidere auderet, & ab occultis insidiis sibi admodum metueret, clausis omnibus viis & itineribus, transitum & accessum ad suum regnum nemini permittendum censuit, conscriptis interim quadraginta millibus Tartaris, quorum opera si necessitas ita postulare videretur, uti contra sedi-

seditiosos subditos posset. Anno 1604.

Ex Suecia vero similiter de tumultibus variis ad nos relatum est, qui quidē ab exactionibus & oneribus extiterint, quibus Carolus Dux Sueciæ, subditos gravare non dubitavit, exigens nimirū ab agricolis singulis singulos, à sacerdote vero binos, & à nobili tricenos Ioachimicos, ut pecunia ad bellum terra marique promovendum suppetere possit, Nam non solum in Livoniam expeditionem iterum moliturus dicitur, sed & classem in mari habet navibus quinquaginta instructissimam, quæ quidem mare Balthicum infestum admodum reddit, nam & Rigensium & Lubecensium mercatorum naves omnis generis mercibus, lino nempe, cera, melle & aliis oneratissimas quadraginta, nuper intercepit, & paulo post triginta alias partim submersit, partim vero dissipavit, ita ut iactura mercium naviumque istarum, ad quinq; myriadas auri computatur.

Tumultus in Suecia.

Mare Balthicum depredationibus infestum.

Sub initium Aprilis navis quædam, multis Iesuitis, Monachisq; & aliorum Or-

Anno 1604

Ordinum clericis, onerata, ad Portum Vliſſingenſem in Selandia appulit, Antverpiam inde petitura, Impetraverant hi interceſſione legati Hiſpanici, à Rege Angliæ, ut ſibi per aliquot adhuc ſeptimanas poſt tempus præſtitutum, ſubſiſtere & commorari in Regno Angliæ liceret. Interea vero legatus Regem mitiorem aliquanto Ieſuitis reddere ſtudens, interrogat, quid cauſę Rex habuerit, quod tam aſperam in Catholicos ſententiam tuliſſet, Rex igitur ut cauſam proſcriptionis iſtius legatus cognoſceret, literas ei prælegi curavit, quibus de conſpiratione Catholicorũ in Regis & Regni perniciem facta, prolixe perſcriptum fuerat, inprimis autẽ quod Rege Reginaque cum univerſa familia eorum ſublatis, univerſum Reipublicæ ſtatum, mutatis præcipuis officiis, pervertere decreviſſent, quemadmodum de conſpiratione quidem iſthac alibi copioſius dictum eſt, Auditis igitur hiſce literis legatus obticuit, nihil amplius in cauſa Catholicorum agere expetens.

Legatus Hiſpanicus cauſam proſcriptionis Ieſuitarum in Anglia inquirit.

Inter-

Interea vero Ordines in Belgio octodecim generosissimos unius coloris equos, singulos quidem 500. florenis coemptos, cum tribus pretiosissime instructis curribus, Regi Angliæ dono miserunt, cumq; navim quendam Hispanicam gemmis & auro, multoq; serico oneratam in mari comprehendissent, plus quam 80 tonnas auri ex ea lucrati sunt. Multis autem hoc tempore deprædationibus mare Batavi Angliq; infestũ fecerunt. Nam nõ solum naves aliquot Hispalim petentes Batavi interceperunt, sed & Anglı quidam in Melamocco, qui portus Venetianus est, mercatorum quorundam navibus se applicantes noctu eas conscenderunt, eumque bona inde omnia in suas transtulissent naves, solventes iterum, carbasa ventis commiserunt, præda non exigua secum abducta. At Veneti cum triremibus statim aliquot eos insecuti, quinq; ex illis naves comprehenderunt, hominibus qui erant in eis omnibus ad remos condemnatis.

Anno 1604. *Ordines confœderate, equos aliquot Regi Angliæ dono mittunt.*

Deprædationes in mari variæ.

Sub initium Aprilis, Hispani in Gel-

Anno 1604. dria, de propugnaculo quod Schenkii castrum vocant, per proditionem occupando cogitationem susceperunt, cumq; animos aliquot præsidiariorum fere iam corrupissent, dolo mirabiliter patefacto, qui proditionis conscii erāt, in vincula omnes sunt coniecti. Cæterum cū multis hactenus latrociniis itinera circa Coloniā omnia fere infesta fuerint, & vero latrones isti, nomen titulumq; confœderatorum Ordinum semper prætenderint, Ordines ut testarentur, se eiusmodi deprædationib. nullo modo favere, per Mauritiū omnibus colonis denunciari curarunt, ut quoscunque sine commeatu & publicis literis deprehenderent milites, latrociniis operam dantes, sine ullo personarum respectu occiderent & trucidarent, unde à Frechianis quidam paulo post comprehensi, pœnas latrociniis debitas dederunt.

Proditio in Schenkii castro detecta.

Ordines latrocinia non fa-vent.

Fuerant porro hactenus inter Paderbornam civitatem & Episcopum eius loci dissensiones & simultates quædā, quæ cum componi vix possent, & vero si

latius serperent, ingentibus malis cau sam daturæ viderentur, Episcopus opera Comitis Ritbergensis adiutus, civitatem ex improviso opprimit, consulem & primarios quosque nihil minus cogitantes, comprehendit, & suæ potestati omnia subiicit. Fama huius rei cum ad vicinas civitates deferretur, Mauritius paulo post Hassiæ Landgravius, auxilio civitati cum 9. signis militum venturus passim dicebatur, itaque Comes quidē Ritbergam repetiit, at vero Episcopus rebus suis mature consulens firmo civitatem præsidio munivit, consule civitatis primario in quatuor partes, ut terrori aliis esset, dissecto. Anno 1604. *Paderborna ab Episcopo sus occupatur.*

Madrilla civitas est, in medio fere Hispaniæ sita, aere tam salubri valens, ut nunquam peste inficiatur, sedes est hodie Regis Catholici, qui non usque adeo longo ab ea intervallo, Pardonium arcem habet tota Europa celeberrimam, quam Rex Philippus multis aulæiis Attalicis Babylonicisque, quales elegantissime precioſissimeque in Belgio hodie *Pardonium arx in Hispania extat.*

Anno 1604. parari ſolent, paulo ante mortem ſuam ſplendidiſſime exornaverat, In hac arce miniſtrorum incuria incendiū, ſub initium Aprilis extitit, tam ingens & formidabile, ut nullo modo extingui potuerit, & quo plus aquarum affunderetur, tanto perniciosius ignis flagraret, donec univerſam iſtam arcem, præter quatuor, in quatuor angulis excitatas turres, funditus deleverit, damnumque quod vix 300000. Coronatis reparari poſſe dicitur, dederit.

Annæberga Miſniæ oppidum, incendio deletum.

Annæberga oppidum Miſniæ eſt, inter metallicas urbes non poſtremum, conditum à Georgio quondam Saxoniæ Duce, ante annos centum vel circiter, multis viris doctis, utpote Sarcerio, Berſmanno, & aliis quos dedit, clarum. In eo incendiū die 28. Aprilis factum, omnes ædes quarū ad duo millia ibi numerabantur, tredecim horarum ſpacio funditus delevit; ita ut præter tria deſerta & à nullo inhabitata tuguria, nihil domorum remanſerit, igne in fabri cuiuſdam ſerarii domo, ab incuria mulieris iuſculum aliquod

quod coquentis & accenso in sartagine lardo, aquam affundentis, initium sumente, & magna celeritate obvia quęq; corripiente atq; depascente. Quia tamẽ dũ huic sedando operã cives darent, in Hospitali quod ante urbẽ erat, & in aliis simul tribus vel quatuor locis incendiũ inde exortum est, fuerunt qui incendiariorũ & quadruplatorum malitiæ id adscriberent. Sane quicquid fuerit, triste spectaculum accurrentibus passim exhibitum est, cum nudos pene patres, matres, nonas puerosque visa est præcipites pellere flamma foras. Ibi quisque amicos suos ægrotos & matres suos infantes ab uberib. pendentes, multo cũ ejulatu & ploratu portis efferebant, ut licet flãma rapidissima velocissimaq; esset, nemo tamen hominũ perierit, præter phreneticũ aliquẽ, catenis ferreis alligatum, & sororẽ eius, quæ cum ipsum liberatum accurrisset, pietatis officio satisfactura, in amplexu eius detenta, flãmis simul esca facta est. Inter ædificia alia templum erat splendidum admodũ & solido cupro contectum, illud cum Anno 1604.

Anno 1604. corripuisset ignis, turrim primo campanariã consumpsit, campanis omnibus colliquefactis, deinde tectum trabesque omnes dissolvit, & ad organa penetrans, illis absumptis, per fores tandem quasi (quod mireris) egressus est, sedilibus universis, suggesto, Altari, Columnis feneſtrisque salvis & illæsis permanentibus.

Expeditionis Mauritii in Flandriam descriptio.

Quanta contentione res hactenus ad Ostendã facta sit, satis superq; lector ex libro huius tomi tertio cognoscet, quo quidem obsidionis istius historiã toto triennio continuatam complexi sumus. Iam igitur cum spes nulla obsidionis solvendæ restaret, metuendumque esset, Hispanos indefesso studio, & coangustationibus continuis, id tandem effecturos, ut civitate potirentur, visum est ordinib. exercitũ suũ, qui partim in præsidiis per hyemẽ fuerat, partim ex Gallia, Germania, Anglia, Scotia, &c. nuper accesserat, cõgregatũ, sub imperio Mauritii navib. in Flandriã traducere, ut vel Ostendam fortiter sublevarent, vel alibi Hispanis ludos eiusmodi

di darent, ut relicta Ostenda, cum Mauritio in arenam descendere cogerentur. Omnibus igitur generali mandato nautis iniunctum est, ut cùm navib. suis tam maiorib. quam minorib. ex Hollandia, Selandia & Frisia occidentali, ad Portum Dordrechtensem confluerent, quid porro facto opus esset ibi cognituri. Parent statim nautæ, Dordrechtumq; cũ 4000. navib. conveniunt, navigiis illis, quæ annonã curãt, exceptis. Anno 1604. *Ordines ingentem classem instruunt.*

His igitur navib. cũ exercitus universus, cũ equis, armisq; currib. itẽ, tormẽtis & id genus reb. bellicis aliis, impositus esset, solvens secundo vento Mauritius 19. Apr. ad Mittelburgũ & Armudium appulit, ut de rebus necessariis milites sibi prospicere ibi cõmode possent, & quod adhuc deesset, mature quisq; sibi compararent, Mauritius tamen cum proceribus aliis navi non egressus est, sed militibus in civitate oberrantibus, ipse interim qua cursum dirigere, & ubi primo impetum facere optimum videretur, instituta consultatione constituit. *Mauritius Dordrechto solvit.*

Anno 1604.

Sub vesperam porro 24. Aprilis pulsari tympanum iussit, & uti naves quilibet suas mature repeterent, proclamari, capitis supplicio eis, qui secus facerēt denunciato, quo fine quidem portæ, per noctem istam totā, quæ inter 24. & 25. Aprilis diem intercedebat, omnibus in Mittelburgo & Armudio patuerunt.

Mauritius ad Insulam Casantum advehitur.

Horam namque circiter tertiam matutinam, post trium tormentorum displosionem, explicatis velis, ex portu isto solutum est, ubi instituto iuxta Vlissingam cursu, omnes naves portum Sluisensem præternavigarunt, donec ad Blanckebergam ferme pertingerent. Tunc enim converso parum cursu, naves omnes, medio inter Vulpam & Casantum itinere, ad portum quem angulum nigrum dicunt declinarunt.

Propugnacula in Casanto à Mauritio occupata.

Huc cum veniissent, 25. Aprilis, summo diluculo, nemine id prohibente, sed & vix animadvertente quidem, milites navigiis egressi, in terram descenderunt, sperantesque se Hispanos vel in lectis stratisq; etiamnum oppressuros, summa contentione ad duo Insulæ Casanti

ſanti propugnacula Oſtoſlitum & Hof ſtedã properarunt. Cæterum Oſtoſlitũ venientes, Hiſpanos fuga ſibi iã conſuluiſſe cernunt. Itaq; relictis ibi aliquot præſidiariis, Hofſtedam petunt. Tenebat propugnaculum illud Hiſpanus quidam centurio, qui monitus à Mauritio deditionem uti faceret, tormentorum ſe nihil adhuc vidiſſe reſpondit, Itaque admotis ad propugnaculũ duobus tormentis, ſignificari ei Mauritius iuſſit, ſe ſiquidem vel ſemel diſploſionem facere cogeretur, nemini eorum qui in propugnaculo eſſent, parſurum, Metu igitur perculſi Hiſpani, deditionem abſq; mora fecerunt, cum armis ſuis inde diſcedentes. Anno 1604

Mauritius Hofſtedam recipit & occupat.

De hoc autem Mauritii conatu certior factus Archidux, partem ſtatim exercitus ex caſtris Oſtendanis dimiſit, Ea 25. Apr. ab occidentalem Portus Sluſenſis plagam appulit, ſtatimque ſequenti die dimidiam lunam ibi duxit, tranſitũ Mauritio uti prohiberet. Mauritius igitur expugnata iam Inſula Caſanto, cum munitionibus ſuis ad Sluſam civitatem

Hiſpani conatus Mauritii impediuntur ad Sluſam proceduri.

Anno 1604. magis magisq; appropinquans, Hiſpanis ab altera parte obviã procedere velle videbatur, qui munitiſſimum transportum Sluſenſem occupaverant propugnaculum, Vt autem conſilium ſuum in effectum eo commodius produceret, naves aliquot præſidiarias cũ triremi nigra præmittebat, quæ velitari aliqua pugna inſtituta, Hiſpanos propellere & ſtatione ſua eiicere tentarẽt, Verum nihil efficere potuerunt, cum Hiſpanicus non ſolum copioſiſſimus, mille nimirum equitum & 3000. peditum eſſet exercitus, ſed etiam tormenta ab ipſis ita diſpoſita cernerentur, ut ſecundum rectam lineam naves in aquis petere quam commodiſſime poſſent.

Interim vero dum navibus intenti Hiſpani ne in terram deponerentur ab iſta parte milites, prohibere modis omnibus nituntur, Mauritius quidem liberum ſibi in Flandriam acceſſum facit, Nam 30. Aprilis, cum duabus equitum turmis, & octingentis ſclopetariis militibus, noctis beneficio fluvi-

fluvium à Sluſa Iſendikam verſus tendentem, traiiciens, Coxiam ſtatim propugnaculum occupavit. Poſtea ad Caſtellum S. Catharinæ pregreſſus, illud multa tormentorum diſplosione concutere cœpit. Itaq; qui in arce erant præſidiarii, deditionem quaſi facturi, abſtineri parum à tormentis petebant, & reſpirandi ſibi tempus aliquod relinqui. Verum cum hæc circa veſperam fierent, & vero Caſtellum illud nondum undique militibus cinctum eſſet, ſequenti ſtatim nocte, clam ſeſe inde ſubduxerunt, Caſtellum Mauritio diripiendum relinquentes, qui cum ſecundo Maii die illud ingreſſus fuiſſet, tantum in eo commeatuum invenit, ut vel ad quatuordecim adhuc dies impetum ſuſtinere & militibus reſiſtere præſidiarii potuiſſent, ni metu expugnati, ſponte Caſtellum deſeruiſſent.

Anno 1604. *Mauritius Coxiã propugnaculũ occupat.*

Mauritius Caſtellum S. Catharinæ occupat.

Ab hoc autem Caſtello ad aliud, cui S. Philippo nomen eſt, progreſſus Mauritius, illud ſimiliter deſertum invenit, Quamvis enim quoad muni-

Caſtellũ S. Philippi à Mauritio occupatur.

Anno 1604. munitiones longe priori superius esset, præsidiarii tamen, vim tormentorum ad S. Catharinam exoneratorum audientes, metu percussi adventum Mauritii expectare noluerant. Itaque hoc etiam occupato, postmodum Man, cum potissima militum suorum parte Hendikam contendit, tormentis 18, secum eo delatis.

Castellum S. Philippi à Mauritio occupatur.

Ischebka à Mauritio obsidione liberatur.

Castellum hoc in loco admodum oportuno situm est, duobus miliaribus Vlissinga meridiē versus, & tribus Sluſa. Orientem versus distans, Regio quidē continens est, sed qua sine ullo periculo ad canalem tamen perveniri potest, qui ante annos 18. pro navibus ibi paratus est, quæ ab Antverpia solventes, Gandavum, Brugas, Sluſam, Dunkerkam & loca alia petere subinde cernuntur. Ab ortu & septentrione aggeres habet, qui concurrentes, angulum quendam faciunt, & in austrum occasumq; postea excurrunt, castellum ab ista parte satis munientes. Ea autem capacitate est, ut unius horæ spacio vix circumiri possit, itaque cum non tam facile ut prio-

priora, occupatu videretur, metueretq; Mauritius fore ut præsidiarii extrema prius quæque quam inde discederent experirentur, omnes ex portu nigro naves adduci iussit, castraq; circa aggeres, de quibus antea diximus, metatus, aliquot munitiones dimidiatæ lunæ forma exci. avit, transitum Hispanis intercluſurus. Præterea cũ in unoquolibet aggere, duo tormenta ænea disposuisset, sexto Maii die castellum concutere, & continua displosione terrere præsidiarios cœpit, nullum à fulminando tempus vacuum donec castello potiretur relinquens. Anno 1604.

Hispani Casantũ recuperare studentes eadem sunt.

Interea vero dum hæc ad Isendikam fierent, Hispani Sluſenses, vires suas cũ illis qui in parte occidentali castra locaverant, coniungentes, Casantum Insulam recuperare tentarunt, At vero Mauritius non solum in propugnaculis, 24. peditum cohortes reliquerat, sed & Insulam sub imperio tribuni Dorpensis, duabus equitum turmis, & duodecim peditum cohortibus firmaverat, Dorpensis igitur de Hispanorum conatibus tem-

Anno 1604. tempestive edoctus, ut eos adventantes pro dignitate acciperet, exercitum omnem in loco quodam occulto continuit, procedunt ergo Hispani cum innumera navigiorum multitudine, cumque tormenta omnia silerent, de securitate ista sibi invicem gratulantes, in terram protinus descendunt, At vero cum eorum mille fere navigiis egressi fuissent, Dorpensis cum ingenti clamore furoreque ex statione sua proruens, ita eos perterrefecit, ut stupentes quasi, præter fugã nihil cogitarent, Ad naves igitur festinandum, cum alter alterum inclamaret, nec ad pugnam sese cõponerent, omnes fere inter fugiendum fusi cæsiq; sunt, præter 30. vel 40, quos vivos Dorpensis cõprehenderat. Ex navigiis autẽ 8. tantũ celoces Dorpẽsis acquisivit, nã Hispani quidẽ reliqui, tanta celeritate fugã promovebant, ut navigia quinq; onere nimio gravata, cũ Hispanis plurimis submersa perierint.

Mauritius interim expugnationem Castelli Isendiccæ strenue urgens, tabellarium interceperat, qui literas ab Archidu-

chiduce ad præſidiarios Caſtelli ſcriptas ferebat, quibus ad conſtantiam eos Archidux hortatus fuerat, & de auxilio intra 4. dies certo certius eis mittendo, ſpem luculentã fecerat, ſed & Itali duo, ex Caſtello ad Mauritium deficientes, de rebus omnibus, & maxime quod alimentorum, aquarumq; potabilium penuria præſidiarii laborarent, certiorẽ cum fecerunt, Mauritius igitur cũ tormentis caſtellum frequentibus concuſſiſſet, 9. Maii, tubicinem mittebat, qui uti deditionem facerent præſidiarios moneret. Hic cum ſecundo tuba ceciniſſet, & more belli conſueto, tertium iã ſignum daturus, tubam ori admoveret, glande plumbea caput traiectus cõcidit. Commovit hæc res bilem Mauritio, itaq; gravi accẽſus ira plura ſtatim ad Caſtellũ admoveri tormenta, ſignificariq; præſidiariis iuſſit, ut ſine mora & deliberatione, eum qui cõtra ius belli, facinus hoc perpetraſſet, ſibi transmitterẽt, ſcientes omnem ſibi gratiam ſi ſecus faxint denegatum iri. Mittunt ipſi ſtatim

Anno 1604.

Socialis contra ius belli trucidatus.

Anno 1604. statim duos ad Mauritium præfectos, qui nescire sese unde & à quo sclopus iste displosus fuerit, prætendentes, non posse se autorem verum sistere dicerēt, At Mauritius ni autorem afferant, admissurū ad se neminem posthac profitebatur, itaque licet sub vesperam, de deditione acturi iterum revetterentur, admittere tamen eos Mauritius noluit, donec postero die autorem secum afferrent, qui in vincula statim coniectus, & Hagam Comitis translatus est.

Ysendica Castella quibus conditionibus Mauritio redduntur.

Hoc facto, deditionem pacti sunt præsidiarii, sequentibus quidem legibus, primo ut armati ex castello discederēt, sed sine fomite igniario, nullis adhibitis tympanis, & vexillis etiam sive signis depositis. Deinde ut relinquerēt in castello omnia tormenta ænea, cum pulvere & globis ad ea pertinentibus. Tertio, ut intra quatuor menses contra Mauritium in Flandria non militarent, & tandem ut pro ægrotis & bonis suis Slusam devehendis, navigia à Mauritio acciperent, duobus centurionibus interim donec ea remitterentur ibi

ibi relictis. Cum autem facta deceſſione Mauritius Caſtellum obtinuiſſet, novo vallo foſſaque illud cingi, & vineas quibus ad aggeres pervenitur, frondibus reparari præcepit, Gubernatore Grollio ibi relicto. Tormenta in eo novem reperta ſunt, cum novem vexillis, quæ ex confœderatis Ordinibus aliqui, qui hactenus cum Mauritio fuerant, Hagam Comitis ſecum abduxerunt. Qui autem deceſſerant, numero 700. erant omnes ſelecti milites, Valones partim, partim vero Itali, quorum 70. ſtatim, Marquettæ ſuo nomina dederunt. Anno 1604.

Ardenburgum à Mauritio occupatum.

Cæterum 12. Maii, cum de Hiſpanis ingenti numero, inter Ardenburgum & Mittelburgum congregatis nunciũ Mauritius accepiſſet, equitatus ſtatim partem, vires eorum exploratum, eo miſit, At ipſi de adventu equitatus iſtius quaſi admoniti, ſumma celeritate ſe inde ſubtraxerant, quingentis fere in Ardenburgo præſidii loco relictis. Mauritius igitur, cum Guilielmo, Erneſto, Ludovico, & aliis Comitibus, equitatus

Anno 1594. ped.tatusque partem aliquam ad oppidum istud ducturus contendit, sed venientes eo desertum illud veniunt. Nã Hispani quidem ut in fuga eo tutiores essent, Portam unam affusa multa terra obstruxerant, & per alteram sese cum preciosioti supellectile sua subduxerant, ita ut præter ferramenta & vasa quædam cuprea, parum in oppido reliquum esset. In templo autem pulchre admodum exornato, dolia aliquot Cereviſiæ plena invenerunt, gratam devotioni suæ prædam, cum alioquī cibi potusque parum adesset, Aspersoriis vero & rebus sacris aliis, quæ adhuc ibi superfuerant, pro oblectamento milites abusi sunt.

Mittelburgum progressi.

Ab hoc porro oppido recta Mittelburgum progressi, oppidum illud similiter ab Hispanis desertum invenerunt, qui tanto fervore in pedes sese inde cõiecerant, ut in arce mensam adhuc stratam & paratam reliquerint. Erant hæc duo oppida à temporibus Parmensis hucusque admodum debilitata, sed vallum tamen adhuc habebant, itaque Mau-

Mauritius munitiones ſtatim reparari Anno
iuſſit, cumque neceſſarium eis præſidi- 1604.
um adiunxiſſet, ad caſtra iterum cũ Comitibus aliis reverſus eſt. Poſtero autem die equites aliquot Hiſpani, horum quæ facta ibi erant, neſcii, ad propugnaculum Mittelburgicum progreſſi, potum ſibi dari expetiverunt, ſtatimque intromiſſi à præſidiariis in captivitatẽ inciderunt. Eodem vero tempore mancipia quædam Hiſpanorum, in triremibus ad Sluſam conſtituta fractis catenis repagulisque ferreis, ſeſe expedierant, ſed compræhenſa rurſus captivitatem evadere non potuerant, præter unum quod ſuperato ſumma natandi induſtria flumine, ad ripam Caſanti Inſulæ ſeram pedi etiamnum adhærentem habens, confederat, ubi cum à Mauritii militibus haſta ei porrigeretur, in terrã protractus ſumma cum lætitia ſervitutem evaſit.

Seditioſi interea ex Weſtphalia cum ingenti theſauro reverſi, ut conatus hoſce Mauritii iuvarent, expe-

Anno 1604. ditionem in Brabantiam 3000. numero fecerunt, Voluerat quidem Mauritius naui eos secum ducere, At illi ne quam equorū suorum, si tempestas aliqua forte existeret, iacturam facerent, terra sequi maluebāt. Itinere igitur per mediam Brabantiam instituto, Bruxellas versus contenderunt, omnes pagos domosque contributionem facere, pecuniamque quam ab illis exigebant, numerare recusantes, incendiis & depraedationibus suis misere vastantes. Congregati autem Lembloæ octingenti fere Hispani seditionem novam moliebantur, Nuncium enim ad Archiducē mittebant, qui solutionem stipendiorum sibi fieri ni facta oppidi deditione, seditiosorum uti accederent partibus Archidux mallet, expeteret. Cæterum cum ab Archiduce verbis amicis, leniter tractarentur, & ex oppido isto evocarentur, mutato consilio Thinas abierunt. Seditiosi igitur cum id cognovissent, ad civitatem istam procedunt, fortunam suam ibi experturi. Confluxerant autem in civitatem istam præter mili-

Seditiosi expeditionem in Brabantiam faciunt.

Seditiosi Thienensibus & Bruxellensibus infesti.

milites istos agricolæ etiam & coloni ex pagis quamplurimi, ita ut ultra 6000 in ea tum numerarentur, itaq; cum inferiores se fore putarent, post trucidatos in civitate non paucos, iterum discesserunt, incendiis latrociniisque suis ingentem omnibus terrorem incutientes. Sub discessum autem in Germanorum equitum turmam, qui auxilio octingentis illis Hispanis ab Archiduce missi fuerant, inciderunt, omnesque paucis exceptis, trucidatos despoliarunt. Postea ad Bruxellas usque progressi multa in tractu isto monasteria pagosque & domos igne vastarunt, sed & cives aliquot porta egressos abduxerunt, & parum aberat, quin Marchionem Haurium, qui cum aliis quibusdam proceribus se in horto ante portam oblectaverat, comprahendissent. Formidabiles certe admodum erant omnibus tam in oppidis quam in pagis habitantibus, itaque cũ per Hengoviam iter facere & cũ Mauritii copiis in Flandria se coniungere constituissent, de impediendo hoc conatu varie deliberatũ est. Anno 1604.

Anno 1604. *Seditiosi cum Archiduce reconciliantur.*

Nulla autem occurrebat tum avertendis hisce malis ratio melior, quam ut facta cũ seditiosis transactione, Archiduci iterum reconciliarentur. Itaq; Comes Vandembergius, cum Episcopo Ruermontio, Comite Fontanio Haurii filio, Gubernatore Castelli Gandavienſis Augustino Guerera & Alfonso Davila, hanc in se provinciam susceperunt, quod composito isto inter seditiosos & Archiducem dissidio, eos ad officium reducere, & Archiduci obtemperantes reddere vellent. Dura quidem isthæc initio provincia videbatur, nullã enim seditiosi admittere tractationem volebant, nisi debiti prius dimidia parte persoluta de libero ipsis commeatu prospiceretur. Cum autem negotium diligentissime tractantes Comites, transactionem modis omnibus urgerent, obtinuerunt tandem à seditiosis, ut sequentibus acquiescerent articulis, de quibus à magistratu Gravienſi, ad confœderatos Ordines Hagam inter alia ita perscriptum est.

Principio seditiosi solutionem accipere

pere debent secundum tenorem transactionis, ita ut quartam partem debitorum remittant, & apocham tamen Archiduci de tota summa tradant. Nomine autem seditiosorum illi tantum intelligendi sunt, qui in castris Archiducis stipendia fecerunt, non vero qui illis sese postmodo adiunxerunt. Deinde ex seditiosis illis, pedites quidē singuli, singulis diebus 9. albos cum 6. nummis, equites vero 19. albos cum 4. nummis accipere debent, donec solutio ipsis plenaria præstetur. Tertio seditiosi quidem Archiduci restituent Hostratam & Kerpam, cum tormentis ex Erckla abductis. Quod si autē pecunia supra dicta singulis diebus non numerata ipsis fuerit, liberum ipsis erit, contributionem, ut ante hæc tempora factum, per pagos & oppida colligere, occupato in hunc finem Reremonto, ut se ibi continere, cum omnib. qui eorū partib. accedere voluerint, possint. Hos articulos Comes Hermannus Vandenbergius Archiduci approbandos & cōfirmandos transmisit, responsū Graviæ

Anno 1604. *Articuli reconciliationis facti cum Archiduce.*

Anno 1604. expectans. Quamvis autem ita inter seditiosos milites & Archiducem convenerit, nihil tamen ad 21. Maii usq;, quo die quidem hac de re ad Ordines ex Gravia relatum est, in perniciem civitatis moliri deprehendebantur, cumque à Gubernatore civitatis admonerentur, ut fidei Mauritio datæ memores essent, nihil sese tentare velle quod cum articulis ab Ordinibus sibi ante hæc tempora propositis pugnet respondernnt.

Proditio in Gallia detecta.

Ex proscriptis in Gallia quidam gratiam hoc tempore apud Regem invenit, quod de perculosa adnodũ proditione eum edoceret. Habebat Villeroius qui Regi à secretis est, substitutum aliquem ex Aurelia oriundum, Is ante annos quinque cum legatis in Hispaniam missus, integro biennio ibi substitit, rebus suis interea ita prospiciens, ut 4000. Coronatos, mercedem proditionis annuam ab Hispano obtineret. Reversus igitur ad aulã Regis Galliæ, facinus suum integro triennio occultavit, omnia secreta consilia Hispano clam aperiens. Cæterũ à legato Hispanico de

im-

imminēti ſibi periculo non ita pridem admonitus, fuga ſibi conſulens, cū nobili aliquo Hiſpano, clam diſceſſit, Rex ergo præfecto rerum capitaliū in mandatis ſtatim dedit, ut Ambianū verſus contendens, eum ex fuga retractū in iudicium produceret, Is cum poſt diligentem inquiſitionem navim tandē qua veheretur exploraſſet, Regis nomine nautis imperat, ut converſo ſtatim itinere, ad littus navim adducant, Parent nautæ, repugnat Subſtitutus, ſed fruſtra, Itaque ne in manus præfecti perveniret, in undas ſeſe de navi præcipitem dedit. Dolebat id Præfecto, ſed cum aliter non poſſet, protractum ex aquis corpus, una cum Hiſpano iſto nobile, cui ſe comitem ſubſtitutus adiunxerat, Lutetiam perduxit, ubi talis in eos pronunciata ſententia eſt, ut mortuus quidem quatuor equis diſcerperetur, vivus vero, in crucem actus laqueo ſuffocaretur. Hinc igitur motus in aula varii extiterunt, & Regē quidem male admodum habebat, quod vivum compræhendere non potuiſſet, nihil enim, præ Anno 1604.

Anno 1604 terquam quod ex literis quibusdam colligere licebat, de proditione isthac eruere amplius potuit. At vero Villeroius re ista audita, attonitus animo, ita consternatus est, ut in gravissimum & periculosissimum morbum inciderit, Substitutum enim hunc ex sacro fonte à se levatum, à prima pueritia educaverat, ut tale quid de eo suspicari nunquam potuerit. Cæterum quid de proditione hac porro futurum sit, ubi tempus aperuerit, lectori communicabitur.

Althemici milites in iudicio sistuntur.

Milites Althemici in Hungaria populationibus & deprædationibus studentes, ingens civitatibus metallicis damnum sub finem superioris anni intulerant, itaque cum Viennam de mandato Cæsaris abducti essent; pars eorum capite luentes in crucem acti sunt, quemadmodum ex secundo huius tomi libro lectori constare arbitror. Manserant autem tum in custodia primarii quique cum tribunis & centurionibus aliquot, factum partim negantes, partim sese, si quid forte ab

aliis

aliis factum esset, extra noxiam esse di- Anno
centes. Vt igitur quid de illis fieri de- 1604
beret, tandem cognosceretur, secundũ iam decimo quarto Maii die in hac causa iudicium celebratum est, idque Viennæ in novæ arcis aula admodum insigni, ubi congregatus militaris senatus per diem integrum huic causæ operam dedit, cumque convenire inter illos non per omnia posset, definitio sententiæ ad iudicium tertia vice in hac causa post septimanas tres habendum dilata est, ubi pro se quisque respondere, & facti sui causam reddere, omnino cogeretur. Cæterum finito hoc iudicio, Genderodus Althemii subpræfectus, una cum centurionibus tribunis & Antesignanis omnibus in arcem deductus, reliqui vero qui inferioribus præfecti fuerant officiis, & vulgariores milites, præfectis rerum capitalium custodiendi traditi sunt, Accidit autem ut de Genderodo, qui Neudeccium interim trucidasse ferebatur, Assessores die abhinc quar-

Anno 1604. quarto iterum convenirent, & altissimæ turri eum includendum, ubi Paradiserus superioribus annis captivus detentus fuerat, pronunciarent, itaque is causæ suę diffidens, sibique male metuens, tali astu inde evasit, Funiculum, quem per puerum quendam dimidio Ioachimico sibi emi curaverat, ad exiguam fenestram, supra locum secretũ forte extructam, alligavit, nocturnoq; tempore inde perrumpens, sese turri ejus beneficio dimisit, Præstolabatur enim eum puer ibi cũ duob. equis, itaq; is conscenso altero abiit, custodibus interim poculis & vino indulgẽtibus, qui omnes sequenti die in carcerem hoc nomine sunt conjecti.

Moersbergici milites seditionem molientes sedantur.

Cæterum Mœrsbergici milites, Suecheti hoc tempore, qui locus duobus miliaribus Vienna abest, subsistentes solutionẽ stipendiorum cum ingenti tumultu expetere, & seditionem moliri visi sunt, tribunis centurionibusque vi summa à se abiectis & omnib. sui ducis admonitionibus posthabitis atque neglectis. Nam etsi in circulo constitu-

tos

ros eos intermedius ipse quam fidelis- Anno
simè non moneret solum sed & obte- 1604.
staretur, ne tam audax tentarent faci-
nus, ipsi tamen in proposito suo persi-
stentes constituto sibi duce alio, suburbium Viennense invadere decreverũt. Cum igitur refractarii omnino, salutaribus obtemperare monitis recusarent, & vero non leve inde periculum civitati imminere videretur, ut mature cohercerentur, præsidiarii civitatis cum multo peditum equitumque exercitu alio, contra eos ex civitate missi sunt. Cumque etiam cives aliqui expeditionem hanc iuvare compellerentur, erãt ex illis duo qui modis omnibus id facere recusarent, dicentes se manus sibi prius ipsis inferre violentas, quam contra Christianos arma sumere velle, cogebantur hi quidem vi summa cum aliis procedere, at cum non procul à seditiosis abesse se iam viderent, alter quidem invocato ter nomine Iesu, educto vagina gladium per pectus medium transegit, alter fluvio se immersit, & quamvis ab astantibus inde tum protraheretur, non longe tamen progres-

Viennenses duo sibi ipsis manus inferunt.

Anno 1604. sus captata occasione iterum desiliit, undisque suffocatus est. Cæterum seditiosi isti cum ante conflictum, semel adhuc admonerentur, ut quid facto optimum esset cogitarent & vero inferiores sese viribus viderent, mutato consilio, supplices Archiduci Mathiæ facti sunt, qui eos in gratiam iterũ recepit, ea tamẽ conditione, si ad stationem quisq; suam reversi, duces & autores factionis istius proferrent, qui capitis supplicio postmodũ sunt affecti.

Vt autem ad Belgica revertamur, Mauritius interea expugnatis omnib. castellis & propugnaculis, quæ ex parte orientali & australi, Slusam respiciunt, Ardenburgoq; & Mittelburgo, oppidis duobus occupatis, 16. Maii die, cũ universo exercitu inde moturus, Baccium quendam præfectum, cum equitatus parte præmisit, Is cum inter Lapschuram & Oukam iter faceret, nihil quidem tale cogitans, ab Hispanis inter arbusta insidiose latitantib. obruitur, tã to quidem cũ impetu, ut quadraginta statim

statim equites prosternerentur, & ipse glande plumbea per crus alterum traiiceretur. Ingens autem à scloporũ bombardarumq; disploſionibus fragor sonusq; factus est, itaq; cum Mauritius eo audito colligere facile posset, præfectũ in periculo aliquo versari, magna celeritate progressus, in Hispanos, quorum 5000. fuisse perhibẽtur irruit, mille vel amplius cædit, trecentos compræhendit, reliquosq; in fugam magna dexteritate convertit. Conciderat in cõflictu isto Guilielmi Comitis Nassovii equus globo traiectus, at cõtra cognatus quidam Spinolæ inter trucidatos repertus est, & octo centuriones cum captivis quamplurimis in Mauritii potestatem vivi pervenerunt. Anno 1604. *Mauritius pratum cæ 1000. Hispanis cæsis.*

Progressus porro Mauritius, ad pontem venit, ab Hispanis super duo flumina, quorum alterum quidem aqua potabili, alterum vero aqua salsa, Slusam labentia stratum, Habebant inter hæc duo flumina castellum aliquod Hispani, in quo 13. plus minus vexilla erecta cernebantur, Mauritius autem

Anno 1604

tem castra in ripa fluminis metatus, noctis beneficio pontem alium prope Ostkerkam super fluvium alterum stravit, cumque partem exercitus clam traduxisset, Hispani metu consternati summo statim sequentis diei diluculo deserto Castello fuga sibi consuluerunt.

Mauritius Castellum novum expugnat.

Occupato igitur hoc Castello & utroque flumine feliciter superato, Mauritius quidem Slusam versus recta contendendum ratus, in munitissimum incidit propugnaculum, quod Castellum novum ipsis vocatur. Tenebant propugnaculum istud veterani Hispanorũ milites fortissimi, qui eruptione etiam facta, ad manus venire nõ dubitabant, Itaq; Mauritius videns quasi clavem illud civitatis esse, & non parum ad portus defensionem, transitusque interclusionem valere, quippe unde multum navibus damni inferri posset, ipse quidem cum parte exercitus terra illud oppugnare aggressus est, naves vero præsidiarias portum occupare, & ne quid commeatuum illis accedere posset, modis omnibus prohibere iussit. Postea ad tor-

tormenta conversus ingenti illud co- Anno
natu concutere cœpit, nihil intermit 1604.
tens quod ad promovendam expugnationem facere posset. Hispani igitur cũ de propugnaculo contra tantam vim diutius retinendo desperarent, facta de ditione, 24. Maii cum armis suis decesserunt. Antequàm autem deditionem paciscerentur, cuniculos primo sub vallum egerant, multoque eos tormentario pulvere expleverant, ut si vel Mauritius vel alii Comites vallum forte cõscenderent, in aerem ab incenso pulvere proiecti, (fumigantes enim simul funiculos pulveri apposuerant) vita miserè privarentur. Cæterum dolus hic ab infimæ sortis milite, qui propterea à præsidiariis sese clam subducens, in propugnaculo remanserat, Mauritio post discessum Hispanorum detectus est, qui missis statim ad cuniculos istos quibusdam ministris, 40. pulveris tormentarii vascula ibi abscondita reperit.

Dolus prædictus.

Præter vascula autem illa pulveris, tormenta etiã quatuor, duo ænea, duo vero ex ferro fusa, in propugnaculo isto sunt

Equites Mauritii circa 1000. Hispanos cædunt.

1604. sunt inventa. Interea autem dum obsidioni huic Mauritius operam daret, equitatus eius Dammium versus per excursionem progressus est, cumque medio inter oppidum illud & Ostkerkam itinere in cohortes aliquot peditum equitumque Hispanorum incidisset, inita statim cum illis pugna, post trucidatos caprosq; & vulneratos quamplurimos, in fugam eos convertit, amplissima ex conflictu isto spolia reportans.

Equites Mauritii ultra 2000 Hispanos cadunt.

Beckaf promontorium ad Slusam à Mauritio expugnatur.

Post expugnatum autem castellum novum, Mauritius ad Beckaff promontorium prope Slusam occidentem versus situm movit, cumque plus centum ictibus illud concussisset, deditionem præsidiarios facere iussit, qui cum nihil minus se facturos dicerent, sannisque & opprobriis Mauritio insultarent, ipse admotis propius machinis incursionē fieri præcepit. Exoritur ingens militum clamor ardentque ad faciendum simul omnes impetum, illis quidem tormenta admoventibus, his vero scalas, machinasque adducentibus alias, At vero Hispani insultantes repellunt fortiter,

secun-

secundumque iam sustinentes impetū virtutem non vulgarem illis reiectis declarant, verū cum reprimendis viribus tātis non sufficerent, Mauritiusq; violentissimo impulsu irruptionem tertia iam vice tentaret, resistere amplius non valentes, expugnato promontorio omnes ad unum trucidati sunt. Anno 1604.

Sluſa aliquot pedestribus ſublevatur.

Factum est id 26. Maii, interea vero Hispani Sluſæ civitati admodum metuentes, nocte ea quæ inter 22. & 23. Maii intercedebat, 700. pedites, qui singuli 25. libras tormentarii pulveris gestabant, prope Lapschuram locum inter austrum & meridiem medium tot paludibus fossisque deformatum, ut mireris quomodo transire potuerint, in civitatem traduxerunt, Itaq; Mauritius, pro intercludendo isto transitu aliquot navigia eo traduxit. Sequenti igitur nocte centuriones quidam ex castris Ostendanis, ad modo dictum locum cum militibus aliquot venientes, cum de insidiis nihil sibi metuerent, ut traducerentur portitores Sluſenses inclamant, Itaque qui in navibus erant

Hiſpani quidam Sluſam potenter intercipiuntur.

Anno 1604. cum vocem istam inaudissent, assumptis statim aliquot sclopetariis & bene armatis aliis, allatum eos navibus suis contendunt, centuriones cum militibus quos secum habebant excipiunt, & ad stationem suam summa contentione devehunt. Cæterum cum ita veherentur, & bene longo iam tractu à ripa abessent, animadvertentes tandem, navigiis sese suorum aberrasse, hem! quo vehimur inquiunt, quo aberravimus miseri, nimis heu somno indultum est, iustum iam somnolentiæ feremus præmium! Exoritur ergo luctus statim planctusque queritantium, & ex agro sese fertili ad steriles detrusum nunc lacunas, exque culina quod dicitur pingui, ad famelicas contabescentium abreptum cavernas iri dicentium, Ridet ad hæc primo classiariorum præfectus, & verum est, inquit, quod dicitis, dormitum prohiusto diutius, in tempore enim venire, rerum quidem omnium primum esse dicitur, ne tamen, addit porro, animum hoc vestrum conturbet nimis viri, non enim in exsucco uti

vobis

vobis quidem videtur & arido ſiſtemini prato, ſed ad caſcorum abducemini penu, ubi querimoniis loci nihil futurũ eſt reliquum. Non poterant à lachrymis ſibi temperare diutius Hiſpani, ſed quid facerent? captivi velut in ergaſtulo hærentes, elabendi occaſionem nullam videbant, promittit tamen ipſis præfectus ſe, modo libere, quis caſtrorũ iam ad Oſtendam ſtatus ſit, profiteantur, omnem ſe moturum lapidem, ut in libertatem iterum aſſerantur. Nec vero etiam fefellit eos præfectus, cum enim ad Mauritium perducerentur, & ad interrogata reſpondiſſent, perſoluto lytro, Sluſam poſtmodo ſunt dimiſſi. Anno 1604.

Retulerant inter cætera Hiſpani iſti, fore ut plures brevi Sluſam ſub fortiſſimo multorum ſclopetariorum comitatu traducerentur, itaque tribuno ſtatim Vandernothio in mandatis datum eſt, ut cum parte aliqua exercitus tranſitum ipſis intercluderet. Cæterum omnes vineas & munitiones Sluſenſium, quas extra urbem in plaga auſtrali exci-

Anno 1604. taverant, Angli quidem tanto ardore interim expugnabant, ut licet præfectũ ſuum ab ictu globi concidere viderent, ipſi tamen nihil remittendum à ſuo ſtudio putarent, donec ad foſſas uſque urbis penetrantes, quam proximé Sluſenſibus coniungerentur, qui iam tum annonæ caritatem ſentire aliquam videbantur, Hiſpanorum enim aliqui ab eis deficientes, cum in caſtra veniſſent, nõ ad ſatietatem licere alicui panibus veſci in civitate dicebant, ſed certum ſingulis, in diem demenſum exhiberi, quo contenti eſſe cogerentur.

Munitiones Sluſenſium in plaga auſtrali expugnantur.

Mauritius Sluſam obſidione cingit.

Confirmabant hoc ipſum captivi tredecim, qui eodem tempore compræhenſi ad Mauritium perducebantur. Itaque Mauritius occaſionem hanc rei bene gerendæ non negligendam ratus, terra marique oppidum obſidione cinxit, tantis illud undique molitionibus munitionibusque claudens, ut nec ingreſſus ad illud, nec inde exitus cuiquã pateret, impoſſibileq; caſtra illa à quoquam vel diſſolvi vel perrumpi poſſe videretur.

Sluſenſes ergo cum præter uxorum

& liberorum ſarcinas multa etiã mancipia in civitate haberent, & vero illis omnibus ſuſtentandis victus non diu ſufficere poſſe videretur, 29. quidem Maii, mancipiorum 1500. quorum uſus in triremibus, quæ maxima parte in civitatem iam, per canalem huic uſui deſtinatum traductæ eranţ, fuerat, nudantibus ſeſe æſtu maris recedente arenis, ex urbe dimiſerunt, ut cum comitatu 400. militum Brugas deducerentur. At vero claſſiariis Mauritii militibus viſi, in urbem ſe recipere coacti ſunt, quibuſdam ſumma ſeſe dexteritate inde ſubducentibus & ad Mauritii caſtra tranſeuntibus, qui aperte non ſolum ob annonæ defectum ſe urbe d. miſſos fatebantur, ſed & pulveris tormentarii rerumq; ad bellum neceſſariarum parũ in civitate reperiri, eſſe vero in ea prẽter milites quatuor millia vel amplius hominum, impedimento ei magis quam adiumento exiſtentium affirmabant.

Anno 1604. *Sluſenſes ſarcinas mancipiorum dimittere fruſtrãtur.*

Sub finem huius menſis ingens 4000 peditum equitumq; [illegible]citus multos

Anno 1604. farina oneratos currus in civitatem deductum, Brugis dimissus advenit, quem classiarii quidem ita acceperunt, ut cum pudore & iactura maxima pedē retrahere, Brugasque repetere cogeretur. Fugientes vero Mauritius persecutus est, tanto fervore ut comprehensos ducentos circiter equites, currus vero farina onustos viginti, in castra secum cæsis insuper fusisque quamplurimis afferret.

Hispani commeatum Sluisensibus advehentes adimunt.

Cum igitur accessus ad civitatem nemini pateret, atque ita de commeatu Sluisensibus prospici amplius nō posset, fames iam paulatim invalescere in civitate cœpit, sic enim 3. Iunii ex mancipiis quibusdam, quæ tranando ex civitate in castra venerant, cognitum intellectumque est, dimensum cibariorū in diem singulis dari solitum, dimidia iam parte minorum, & multum quotidiani panis ipsis subtractum esse, ut nō immerito Gubernator quidem ad Archiducem Brugas scribens, maximum sese hostem in civitate, famem & mancipia habere conquestus fuerit.

Annona defectum in Sluisa augetur.

No-

Novem porro Hiſpani equites, ſub veſperam eius dici ad ſtationem Comitis Erneſti appropinquantes, ſi qua in ciAnno 1604.
vitatem patere ipſis acceſſus diſpicere videbantur, cernentes enim tranſitum ſibi nullibi patere, quieti iterum abierunt. Interea vero nullum à labore tempus prætermiſſum eſt vacuum, propugnacula ſua reparantibus oppidanis, Mauritioque multis munitionibus vineis foſſisque caſtra ſua undique firmãte & obducente. Sed & ſclopis bombardisque ſeſe invicem ſubinde ſalutabant, ut pars altera alteram nonnihil remorarentur. Inprimis enim Mauritii milites in parandis ponticulis, ſcalisq; & id genus machinis aliis, quibus opus ſeſe habituros putarent, ſtrenuos ſeſe declarabant, cumque marini æſtus vehementia agger quidam diſtractus forte in caſtris eſſet, ei reparando, vineisq; ab aqua & ſordibus iterum perpurgandis, integrum ferme octiduum impendebant.

In ſtatione Comitis Guilielmi ingens propugnaculum, cum munitionibus

Anno 1604. bus octo vel decem, contra Hispanorũ auxilio forte ciuitati venientium insultum, excitarunt, cumque à tormentis hactenus deliberato consilio abstinuisset Mauritius, munitionibus prius excitandis, vineisque & fossis circum castra ducendis incumbendum ratus, Hispani militibus eius insultantes, tormẽta sua nunquid ludæis forsitan oppigno rata aut in Lombardia constituta haberent rogant, ut leporum more in pedes se coniicerent eos monentes, quibus illi sat equidem mature tormenta admotum iri respondebant, socios uti suos ad Ostendam iuvarent, haud raro eos excitantes. Interim quæ firmandis munitionibus necessaria videbantur, multis plaustris in castra allata sunt, eranteque operarii in opere adeo strenui & diligentes, ut tribus continuis noctibus somnum quidam oculis non viderent suis, dum id agerent, ut castra modis omnibus redderentur quam firmissima & adversus omnes iniurias tutissima. Ne autem tormenta ab oppidanis conspicerentur, ea quidem noctur-

Hispanes Mauritio insultant.

nocturno tempore ad stationes suas traduxerunt, Mauritio interdiu una cum comite Guilielmo non castra solum circumeunte, sed & in navibus omnia quæ ad obsidionem hanc feliciter absolvendam facere sciret constituente & ordinante. Anno 1604.

Traiecerat autem 13. Maii Casantum Mauritius, visum quid rerum à præsidiariis ibi ageretur, Eo igitur absente exploratores duo in castra venerant, cumque universa castra, vinum adustum & omnis generis merces militibus venum offerentes, perābulassent, undis sese committebant, occasionem primo quoque tempore in civitatem revertendi captantes. Verum enimvero à classiariis visi, comprænhenduntur, & captivis reliquis, quibus aliquot navigia onerata erant, adiunguntur, Cumque Hispani etiam Damienses quosdam ex Mauritii militibus captivos haberent, missus est 14. Iunii Tympanista qui eos liberaret, at ubi ex oppido illos secum iam perduxisset, sex eorum, Angli partim, partim vero Hy-

Speculatores duo in castris cōprahensi.

Anno 1664. Hybern, ſponte ſua ſeſe à reliquis ſegregantes ad Hiſpanos reverſi ſunt

Ire ſtrenue Mauritii quidam ob delicta ſua puniuntur.

Annona certe ex Selandia, Hollandiaque, Anglia item & Gallia, tanta copia caſtris illata eſt, ut viliſſimo precio comparari tibi quodcunque poſſes, itaque cum furti quidam convincerentur, ad laqueum non immerito damnati ſunt. Accidit autem, ut commilitonum alter alterum cibariis quibuſdam privaret, factumque negans convitiis inſuper commilitonem ea de re eum compellantem proſcinderet, inquirens igitur ille cum quod ſuum erat apud eũ inveniſſet, eo recuperato ad tentoriũ ſeſe ſuum contulit. Alter contra iratus, oneratum glande plumbea ſclopum ſecum ferens inſidiari eius vitæ cœpit. Defertur res ad vigilum tribunum, Is aſſumpto altero, reum compellat, graviterq; hoc nomine obiurgat, qui exacerbatus magis, gladium vagina educit, præſenteque tribuno latus commilitonis petit, itaque comprehenſus ſtatim cum in iudicium veniſſet, morti à ſenatu militari adiudicatus eſt, ut ad

pa-

palū alligatus globis traiiceretur, quod 15. quidem Maii ita etiam factum est. Anno 1604.

Mauritius porro nullum præterire diem sivit, quo non comitibus proceribusque aliis castra perambulans, quæ necessaria viderentur constitueret imperaretq; militib. qui nocturno potissimum tempore firmandis & magis magisque ad castellum Sluisense promovendis munitionibus studebant, cum præsertim Casantum quidem Insulam vallis propugnaculisque & munitionibus tam firmam munitamq; iam reddidisset, ut mirum esset tantum laboris tam brevi tempore perfici potuisse. A tormentis quidem hactenus abstinere suos Mauritius voluit, interim tamen scloppis subinde, maxime vero in excubiarū deductione milites usi sunt. Fecit hæc res, ut quiescere in castris exercitū & otiose delitescere, rumor ad vicinos populos spargeretur, sed gravi consilio tormentorū usum differre Mauritius, donec castra undiq; cōmunita satis & firmata essent, voluit, cum præsertim ea ingenti continerentur tractu ambituq;

Cur à tormentis hactenus abstinuerit in castris ad Sluisam Mauritius.

Anno 1604. tuque, ut ſine propugnaculis ſi eſſet, tuta ſatis ab Hiſpanorum incurſu vix ingenti militum manu conſervari potuerint.

Hiſpani Mauritii militibus illudunt.

Dammienſes cum aliquot boum capita amiſiſſent, falſe illudentes Mauritianis, ut panē etiam allatum venirent ſtationem Comitis Erneſti inclamabant. At ipſi neglectis eiuſmodi ſannis & illuſionibus, in labore ſtrenue pergebant, cumque ex civitate aliqui egreſſi fuiſſent, literas in ocreis abſconditas, ad Archiducem Brugas perferre volentes, ipſi duos ex iis comprehenſos ad Mauritium perduxerunt, reliquis in civitatem iterum reiectis. Cæterum Caſanto Inſula multis iam propugnaculis munita, ad Ardenburgum & Mittelburgum oppida ſimiliter etiam munienda ſtudium ſuum converterunt, colonis civibusque, qui ea deſeruerant, iterum admiſſis, ſed ea tamen conditione, ut tributum iam Mauritio ſolvant, qui inſigne ſuum omnibus quæ hactenus ſubiecta ſibi reddidit locis apponi curavit.

Va

Venerunt autem 18. Maii in caſtra 2.co. Helvetii milites, ſub imperio Comitis Erneſti ſtipendia facturi, cumque ſtabularius Regis Galliæ illis adeſſet, honorifice is quidem à Mauritio acceptus, & poſt longam cum Comite Guilielmo deambulationem, menſæ Mauritii admotus eſt. Cæterum vigeſimo primo Maii tympanum pulſari Mauritius & per univerſa caſtra ſignificari iuſſit, ne quis frumentatorum & propolarum, qui convehendis ad caſtra cibariis operam dabant, ad ſequentem Mercurii diem, quem fundendis ad Deum precibus deſtinaverat, emere quid vendereve conaretur, ſed ab omni etiam minutiſſima negotiatione abſtineret, pœna amiſſionis omnium bonorum, & ex caſtris relegationis contra facientibus denunciata.

Anno 1604. *Stabularius Regis Galliæ caſtra ad Mauritium venit.*

Dies precationi à Mauritio deſtinatus.

Pacis negotium inter Hiſpanum Anglumque hoc tempore in Anglia tractari cœptum eſt, quinque proceribus ab utraque parte, tractationi huic delegatis. Cum autem

Pacis tractatio inter Hiſpanum & Anglum inſtituta.

in

Anno 1604 in loco huic negotio destinato utrinq; conventum esset, Hispani quidem ab Anglis requirebant, ut Regis nomine cuiusmodi constituere pacem vellet, proponerent, At illi hoc recusantes, Hispanos primo decere dicebant, mentem suam explicare, utpote qui hoc quidem nomine in Angliam advenissent, ut quod necessariũ sibi esset quærerent expeterentq;, Itaque Hispani sequentes tres quæstiones proposuerunt, Principio, an Angliæ Rex pacẽ peteret offensive & defensive, velletque eiusmodi cum Hispano fœdus fieri, quo auxiliatrices alter alteri porrigere manus cogeretur, sive is bello oppugnaret alios, sive ab aliis bello impeteretur, inimicitias pariter amicitiasque omnes communes habens & agnoscens. Denegabant hanc petitionem simpliciter Angli, quærentes simul ab Hispanis, parati ne ipsi etiam essent iuvare Anglos in bello, si quod contra Papam gerendũ foret, pari ratione qua auxilium ab Anglis adversus alios iam experetent.

Articuli ab Hispanis in Anglia propositi.

Pergebant Hispani, quærentes secundo,

do, an Angli pacem fieri peterent defensive, ut nimirum Hispani parati essent Anglos, & Angli vicissim Hispanos tempore belli, adversus hostes armis tueri & defendere. Respondebãt Angli, non posse se certi aliquid hac de re statuere, cum nulla etiamnum inimicitia premerentur, atque ita auxilio Hispanorum nondum indigerent, nec vero etiam honestum sibi videri, pacem quam cum aliis colerent, in Hispanorũ gratiam violare. Tertio quærebant Hispani, an pacem expeterent, nec offensive nec defensive, sed ita tantum, ut negotiationibus libere exercendis utrinque vacare partes possent non lædentes sese invicem, nec seditiosis rebellibusque auxilium præstantes? Offendebantur autem admodum Angli audita seditiosorum appellatione, Dicebant igitur in contumeliam Regis hanc vocem vergere, quod is cum nullis seditiosis rebellibusque fœdere & amicitia iunctus esset, deliberationem tamen sese de hac quæstione instituere velle. Anno 1604.

Cæterum cum quæstiones suas Hispa-

Anno 1604 ſpani propoſuiſſent, ut Angli etiam idem facerent poſtulabant, Ipſi igitur primo, ut Confœderati in Belgio hac etiam tractatione compræhenderentur, nec ullo amplius bello oppugnarẽtur: Deinde ut per univerſum Hiſpaniæ regnum conſcientiæ relinquerentur liberæ: Tertio ut novo illo tributo 30. pro centenis ſingulis perſolvendi abrogato, navigationes in orientalem occidentalemq; Indiam facere liberum omnibus relinqueretur, Et Quarto, ut omnium privilegiorum beneficiorũque quibus Angli ſuperioribus temporibus per univerſum Hiſpaniæ regnum uſi fuiſſent, renovatio fieret, modis omnibus contenderunt. Hæ igitur propoſitiones cum eiuſmodi eſſent, ut in diſceptationem vocarentur, conveniri quidem inter partes tum non potuit, ſed ſoluto conventu, tractatio in tempus commodius reiecta eſt.

Preinerici milites in Hungaria hoc tempore tumultuari & ſeditionem movere cœperant, itaque Caſſoviæ præfectus adiuncto ſibi Crauſeneccio, eos in

viam

viam revocatum ſedatosque denuo luſtratum abiit, at illi integram ſtipendiorum ſolutionem petentes, mererе amplius noluerunt. Interea vero dum is abeſſet, captivi quidam in Caſſovia Turcæ, diſruptis compedibus, impetum in excubias proximas fecerunt, volentes, ut paulo poſt compræhenſi iterum & fuſtibus cæſi, fatebantur, ſuppoſito in diverſis locis igne civitatem incendio delere, ubi eos primo, qui in excubiis conſtituti erāt, interfeciſſent, quorū clamore ad numellas iterū ſunt retracti. Anno 1604. *Turcæ captivi Caſſoviam igne perdere conantur.*

Dum hæc ibi fierent, Zellalyus, quē ſupra Temeſvariæ Baſſam factum diximus, cum exercitu ſuo ad Lippam movit, magno civitatem iſtam impetu invadens, ſed cum ad arma ſtatim noſtri conclamarentur, cum dedecore & non ſine ingenti damno inde reiectus eſt, compræhenſi autem ex illis quidam, cum examinarentur, Turcas dicebant ingenti copia Belgradum cōfluxiſſe, iamq; traducto ſuper Danubiū ponte, nil niſi Tartarorum adventum, (illi enim hac æſtate in Hungariam *Zellalyus Lippam tentat.*

Anno 1604. rursus processuri dicebantur,) expectare, quibus advenientibus expeditionē facturi essent, Nam per universam Bosniam, finesque Hungariæ alios, quartū quenque ad expeditionem hac æstate faciendam conscriptum & designatū esse dicebant, propterea quod rariiam milites Constantinopoli prodire possent, propter motus à Rege Persarum factos, qui multas vastando provincias quotidie pergens, iam & Cigalam in fugam verterit, & ingenti strage edita filium eius vivum comprænderit, inito cum Caracasa rebellantium in Asia Duce fœdere, & in perniciem Sultani omnes suas vires convertente.

Tartari in Hungariam rursus processuri dicuntur.

Ingens hoc tempore incendiū Canisia pertulit, quod incuria Turcarum in armamentario excitatum, illud plane absumpsit, propugnaculo simul vi tormentarii pulveris disrupto, ut si cū exercitu statim aliquis adfuisset, impetum sustinere vix potuisse videretur. Miserant Budenses ducentos hoc mēse Turcas, qui gramen in agro Pestensium demeterent, eos nostri Pesta proru-

Incendium Canisia.

cn-

entes, fuderunt partim, partim captivos secum abduxerunt; itaque Bassa Budensis extremam eis persecutionem & inimicitiam denunciari iussit. Anno 1604.

Non cessabant etiamnum proditiones in Transylvania, sed quantumvis à Georgio Basta suppressæ repullulare subinde iterum videbantur, nobilibus ad seditionem magis quam ad pacem propensis, qui cum à Turcis adiuti propugnacula quædam & castella occupatum magno numero convenissent, Haiducci præoccupato ipsis transitu, incautos eos & nihil minus cogitantes opprimunt, Turcasque & Transylvanos sternunt, multis in captivitatem secum abductis. Hoc peracto Haiducci militesque alii propter solutionis defectum, omnia per universam Transylvaniam itinera latrociniis infesta reddiderunt, prædam passim per pagos agentes, qui ab agricolis in oppida & civitates confugientibus deserti fere iam cõspiciuntur, unde fames & infinita in regionẽ istam mala introducta sunt, contabescentibus passim multis, & inedia

Tumultu in Transylvania.

Latrocinia in Transylvania.

Anno 1604. quam miſerrime pereuntibus. Nō procul autē à Viſebugo Ieſuitam Haiducci cum tabellario Viennam à Radulenſi Waida ablegatū trucidarunt, cumq; de Zeccleris audiviſſēt ꝙ 40. currus frumēto onuſtos Claudiopolim traducturi in itinere eſſent, advolātes ſtatim magno numero Haiducci, repugnantes Zeccleros cædunt, currus eripiunt, frumentūque & ſeptingentos inſuper boves ſecū abducunt. Compellabatur hoc nomine poſtmodū Horvatus, cuius imperio milites iſti ſunt ſubiecti, at ille impoſſibile eſſe dicebat eos cōpeſcere, & à latrociniis cohibere, ad quæ neceſſitate, duriſſimo alioquin telo, & alimentorū penuria cōpellerentur, Adeo enim annonæ caritas famesq; invaluerāt, ut nō radices ſolum ſylveſtres, ſed & gramina, ferventib. aquis nōnihil emollita, in cibū aſſumere paſſim homines cernerentur. Cæterū duo Bribeii Budēſes, ſub finē Maii compræhenſi ſunt, qui Viennā ſpeculatū miſſi, explorare Chriſtianorū vires debuerant, ut ſciretur quantis hac æſtate copiis, & quibus Ducibus, ductoribus

Vam : in Tran, l- vania.

Speculatores Turcæ comprahenſi.

busq; expeditionē nostri facturi essent, quorū alter quidem palo affixus, alter vero examini diutius reservatus est. Anno 1604.

Ad Ostendam quæ gesta sint hactenus, ex superiori libro, quem totum obsidioni huic dicavimus, lector cognosces, cum autē ultra tertium iā annū obsidio ista protrahatur, & vero finis eius nullus adhuc appareat, ne eorū quę anno hoc quarto ibi acciderunt ignarus esses, historiā istā hoc & sequentib. si Deo ita visum fuerit libris, fideliter cōtinuatā, tibi cōmunicabimus. Postquā igitur Hispani, cōtinuis laborib. & indesinenti Spinolæ studio eo progressi essent, ut Porsepici propugnaculo occupato, imminere civitati q̄ proxime viderentur, Ostendani qdē novo vallo illud à munitionib. suis separantes, sperabant hoc modo bene longo adhuc tēpore Hispanos sese remoraturos & à vallo primario prohibituros esse. At illi in aliis plagæ occidentalis locis ubi non parū etiā civitati appropinquarunt, actionē non nihil suspendendam rati, Porsepico cedere omnino recusabant, cuniculos

Obsidionis Ostendanæ continuatio.

Hispani Porcepico potiuntur

Anno 1604. Igitur ſub novo iſto vallo, quo ſeſe oppidani à Porcepico ſeparaverant, agentes, multo tormentario pulvere locum formidabilem faciebant, nam antequã oppidani id metuerent, illato in cuniculos igne vallum diſiciunt, viginti ſimul & amplius ex præſidiariis in aerem proiectis, qui miſere admodum præter expectationem omnem vitam ſuam finierunt. Hoc facto impetum ſtatim etiam facientes, cadentibus in civitatẽ qui in vallo adhuc ſuperfuerant militibus, vallo potiuntur. Non erat hæc iactura levis & à præſidiariis caveri etiam num potuiſſet, niſi metu perculſi, vitæ ſuæ timuiſſent nimium, Non enim erat ruptura ea tanta, quæ non facile reparari potuerit, dummodo præſidiarii conſtantes in defenſione manſiſſent, Occubuerunt in hac oppugnatione cunicularius Ordinum præcipuus, cum ſignifero quodam & tribuno Verburchio. Præfectum autem Lanscronium cum ſimiliter deſideraretur, nec tamen inter ægrotos reperiretur, poſtmodo captivum ab Hiſpanis detineri, cognitum eſt.

Hiſpani ultra Porcepicum progrediuntur.

Ela-

Elati hoc rerum ſucceſſu Hiſpani, vallū Polderenſe noctu conſcendunt, ſed ab oppidanis male admodum excepti, pedē ſtatim inde retraxerunt, compræhendebatur ibi centurio quidā natione Burgundus, qui Hiſpanos conſtituiſſe, ingenti duorū millium numero impreſſionem brevi facere referebat, quod eventu tamen caruit. Certe Oſtendani eo audito ad arma ſtatim omnes convertebantur, adventantes Hiſpanos excepturi, cumque per novū portum plurimi hactenus milites in civitatem recepti fuiſſent, ne incauti opprimerentur, inſtituta generali luſtratione, cuilibet ſtationem & locum ſuum aſſignarunt. Dum autem hæc ita fierent, octo civitate navigia dimittebantur, Hiſpanis ea frequentia globorum quadratorum diſploſione fruſtra proſequentibus, Quia tamen ventus ipſis non per omnia favebat, factum eſt, ut duo ex illis ad arenas propellerentur, in quorum altero tormentū erat, quod inde tamen eductum eſt, in altero vero tribunus quidam cum uxore & filio vehe-

Anno 1604. *Vallum Polderense ab Hiſpanis fruſtra tentatur.*

Anno 1604.

Æthiopis cuiusdam mira in liberanda muliere & infante sedulitas.

hebantur, qui cum in magno versarentur periculo, Æthiops quidam subpræfecti munere apud Nicolaum Gerhardum fungens, depositis vestimentis adnatavit, comprehensamque in medio mulierem periculo liberavit. Ea periculorum prægaudio oblita, mirabatur nigri istius hominis studium, rogabatque ut infantem etiam suum navigio educeret, vir enim eius licet globo percussus esset, abiecto tamen vestitu uxorem per undas sequebatur, Ille igitur secundo navigium adnatans, apprehensum etiam infantem periculo liberavit, sed tertio allatum supellectilem eorum, iter illud repetens, globo ab Hispanis percussus obiit. Cæterum cum Hispani multis navigium istud tormẽtis peterent, remigium tandem ab eo globi ictu abreptum est, quo facto, illud arenis sese expediens, progredi rursus videbatur, itaque oppidani scapha advecti, duos ei remiges imposuerunt, quorum opera periculum tandem omne evasit.

Navigiis porro illis dimissis, novem con-

contra alia Geulæ canalem ingreſſa, ad ventare cernebantur, quæ cum evitatis feliciter Hiſpanorum tormentis, in urbem recepta eſſent, multis ſclopis onuſta deprehendebantur, qui miro artificio novoq; invento ita parati erant, ut ſpõte ſua ignem conciperent, & abſq; alicuius opera exonerarentur, facientes maxime contra inſultus hoſtiũ, quem admodũ etiam ſtatim in vallum traducti & contra Hiſpanorum incurſum diſpoſiti ſunt. Invenerant hiſce diebus oppidani cuniculum, ab Hiſpanis in Poldera factum, eoque diſturbato ſpem Hiſpanorum de eo conceptam, irritam fecerunt, itaque illi cum ſub vallo poldereníi alium egiſſent, ne & cum oppidani eruerent, admoto ſtatim ad pulverem in eo abſconditum igne, vallum diſrumpunt, introitum ſibi tantæ capacitatis parantes, ut viceni ſimul inſultum facere poſſent. Quare nihil cunctantes magno ſtatim numero vallum irrumpunt, putantes ſe pari qua Porcepicum facilitate, propugnaculum hoc occupaturos. Sed à da-

Anno 1604.

Cuniculi in vallo poldorenſi diſruptio.

Anno 1604. damno in Porcepico accepto cautiores facti oppidani, propugnaculum novo aliquo vallo à civitate mature separaverant, itaque cum superata iam ruptura ista ad interstitium & novum vallum venirent, stupefacti Hispani, cum nec progredi sine periculo, nec regredi sine dedecore & ignominia possent, quid facerent attoniti quasi hærentes, dubitant.

Pugna Hispanorum in vallo Polderensi admodū cruenta.

Non cessabant interim præsidiarii multis tormentis Hispanos petere, cumque catenatis magna parte globis uterentur, plures uno ictu prostrati occumbebant, Erat spectaculum id visu admodum miserandum, cum utrinq; magno conatu concurrerent. Aderant enim alacres in novo isto vallo oppidani, nec minus etiam Hispani pugnabant fortiter, A tormentis autem cadebant denso agmine, & licet se non esse pueros Hispani declararent, cedere tamen tandem coacti sunt, resistere tantis molitionibus non valentes. Nam locus etiam ille difficilis admodum expugnatu erat, propter vallorum, munitio-

tionum, fossarum, propugnaculorum- Anno
que sibi invicem mira elegantia corre- 1604.
spondentium frequentiã, ut mirum esset Hispanos fortunam suã eo loco experiri in animum inducere potuisse. Sane cum ex disruptione cuniculi, accessus Hispanis patefieret, præter unũ ex præsidiariis nemo interfectus est, & quamvis Hispani magna contentione certarent, pugnaque ista per tres integras horas protraheretur, non plures tamen quam 40. ex oppidanis ceciderunt, cũ contra vel octingenti inter Hispanos desiderarentur, qui tormentis partim prostrati, partim incẽdio (corbes enim munitorias pyrobolis oppidani accenderant,) extincti fuerant, qui ante septimanas aliquot in perniciem civitatis coniuraverant, oppidanis deditionem tum facere recusantibus, illud imperantibus hoc ipsum Hispanis respondentibus, se præter pulverem tormentarium glandesque plumbeas & ferreas, ferculum adventantibus hospitibus apponere aliud non posse, itaque per iocum etiam finita hac pugna Hispanis ex civitate

Anno 1604. tate acclamatum est, si quid sapuisset ferculum hoc, reverterentur propediem, missum alium percepturi. Porro Hispani, ut damnum hoc aliquo modo repararent, dispositis medio inter portam occidentalem & Polderā loco, novis corbibus, sepimentū rursus aliud moliebātur, pro quo convellendo, oppidani paulo post eruptionem fecerūt, sed quamvis non paucos trucidarent, dissipare tamen opus illud non potuerant. Compræhensos autem cum tribuno militum cuniculatios aliquot secum abduxerunt, qui munitiones civitatis novaque opera quæ subinde prioribus adiungebantur mirati, nunquam dicebant, Hispanos in castris adduci posse ut credant tam probe munitam civitatem esse, quibus si saperent, expediret, solutis castris abire, nec moras ibi donec Mauritius Slusam sibi subiiciat facere.

Berendrachtus Gubernator moritur.

Imperium civitatis penes Berendrachtum hactenus fuerat, is autē glande plumbea in altero humero percussus, cum conscensa navi Selandiam petitu-

titurus in itinere esset, invalescente indies magis magisque dolore, mortuus tandem est, successitq; in locum eius Vtenhofius, qui tribunus non ita pridē contrucidato Lonio factus fuerat. Non cessabant à tormentis interim Hispani sed & in opere diligentes erant admodum, & quidem novos sub porta occidentali cuniculos agentes, novam impressionem meditabantur. Verum oppidani nihil ipsis concedendū rati, non solum reparandis munitionibus operā dabant, sed & ex oppositā parte cuniculos agentes, cum dolum Hispanorum sub porta occidentali inveniissent, ipsemet admoto igne disruptionē aggeris faciebāt, sperantes Hispanos ad insultationē hoc modo invitatū iri, cū ruptura satis magna locus iste pateret, præsto labantur autem eos per diē integrū armati, at ipsi malum sibi paratum quasi olfacientes, quietos sese continebant, & rupturam istam iterum ab oppidanis reparari tacite permittebant.

Anno 1604.

Vtenhofius fit gubernator in Ostenda.

Cuniculus Hispanorum sub porta occidentali disturbatur.

Cæterum ne omnino quiescere & nihil

Anno 1604. nihil agere viderentut, globos candentes in civitatem proiecerunt, cataractas in vallo Polderensi constitutas accendentes, Verum ignis tamen ille diligenti oppidanorum cura statim iterū suppressus est, Veniebant autem in civitatem & Brandenburgici legati, ut statū civitatis castrorumque intuerentur, cumque ex navigiis tredecim, unum in manus Hispanorum incidisset, ablegati statim ex præsidiariis Ordinum navibus quidam, eam iterum recuperatam in civitatem deduxerunt, Interim 30. navigia, ex civitate evitatis Hispanorū tormentis omnibus, salva abierunt. Oppidani autem octo tormenta in novo vallo ita constituerunt, ut tam ad Polderam quam ad portam occidentalem respondérent, cui quidem insidias omnium maxime struere videbantur, itaque cum novum cuniculārii civitatis aperirent cuniculum, ab Hispanis multo tormētario pulvere repletum, admoto statim igne ingentem in porta ista convulsionem oppidani fecerūt. Dolebat Hispanis hoc oppidanorum stu-

Legati Brandenburgici Ostendam veniunt.

ſtudium, inſtructaque ſtatim acie per rupturam iſtam impreſſionem facere nitebantur. At oppidani pugnam iam dudum ſitientes, ingenti eos tormentorum diſploſione ita excipiebant, ut catervatim concidentes, cum maximo damno recedere cogerentur, non ſimplices enim globos, ſed & catenatos, & íntegris vaſculis multa copia abſconditos, in Hiſpanos oppidani eiaculabantur, cumque receſſiſſent, obſtruendo rurſus foramini magna alacritate adlaborabant, operariis ſingulis roſam nobilem præmii loco perſolventes, triaq; adhuc tormenta alia ad novum vallum protrahentes. Anno 1604. *Hiſpani in portã occidentalem impetum fruſtra faciunt.*

Cæterum Italus quidam ad oppidanos ex caſtris tranſiens referebat, Hiſpanos inſtituta generali luſtratione deprehendiſſe caſtra ſua ita imminuta eſſe, ut nullo milite carere atque ita auxiliares Sluſenſibus copias mittere nullas poſſent, itaque per literas ſtatim ipſis ſignificatum eſſe, non poſſe ultra novem armatorum millia iam colligi, quibus quidem in caſtris ipſimet opus *Auxilia Sluſenſibus denegatur.*

Anno 1604. haberent, ut de sublevatione spem Slusensibus facere nõ possint, facerent igitur ipsi quod fortes deceat milites, donec collecto novo exercitu, auxilium ipsis mitteretur.

Non cessabant autem à labore Hispani, sed parato novo corbium sepimento, ad portam rursus occidentalem appropinquabant cuniculos novos agentes.

Aderat iam dies corpori Christi sacer, multis ab utraque parte luctuosus, Hispanis tamen potissimum funestus. Venerant eo die in civitatem septem naves; Eas vero Hispani non nisi tribus prosequebantur ictibus, quod aliud maius opus aggredi cogitarent, illato enim in cuniculum sub porta occidentali factum igne, accessum sibi rursus per disruptionem haud exigu ę capacitatis parabant, sex vel septem præsidiariis in aerem simul inde disiectis.

Hoc peracto & in portam istam & in Polderense vallum impressionem magno numero faciebant, sed

ab

ab oppidanis, qui ad pugnam semper parati erant ita excipiebantur, ut abstinuisse ab isto conatu mallent, Erant enim illi alacres admodum & imperterriti ad pugnam, quæ in quartam usque horam tum protrahebatur, præfectis Hispanorum ingenti conatu posteriores propellentibus, qui cum in acie constitutos denso agmine posterni, atque ita in præsentissimam mortem adigi sese viderent, (novo enim invento globos excavatos adhibuerant oppidani, qui viri alicuius caput magnitudine sua æquantes, multo pulvere nitroque repleti erant, quo accenso globi vel in 50. particulas distracti, mirum quam ingens inter Hispanos damnum dederint!) neglectis minis, precibusque posthabitis omnibus, progredi ulterius nolebant.

Anno 1604.

Oppugnatio Ostendæ vehemens & cruenta.

Globi excavati.

Finita hac pugna, miserabile erat, tot non vulneratorum tantum, sed & prostratorum videre miseriam, multis enim plaustris interfectorum cadavera avehebantur, cum Hispanorum quidem 600. fere cecidisse dicerentur,

Anno 1604. inter oppidanos autem 60. plus minus desiderarentur, in quorum numero Vtenhofius quidem civitatis Gubernator etiam erat, qui glande plumbea per collum traiectus occubuerat, Inter vulneratos præcipui erant, Hamultus Scotorum præfectus, Hailettus tribunus Anglicus & Zanchius præfectus Gallorũ. Durante autẽ conflictu isto, celoces aliquot, novo milite oneratæ adventabant, Erantque in illis ex Anglis, Scotis, Hollandis Frisiisque permistis sex signa, quæ 1000. plus minus viris constabant. Ex his Scoti Angliq;, cum intelligerent pugnam eo in loco esse, qui suæ nationis militibus assignatus esset, pleno statim cursu suis auxilium laturi cõtendebant, sed maximo impetu iam superato Hispani maxima parte reiecti erant.

Vtenhofius gubernator trucidatus.

Ostenda novo milite sublevatur.

Seditiosi cum Archiduce in gratiã reversuntur.

De transactione inter seditiosos & Archiducem instituta, suprà dictum est, confirmatis igitur articulis quos in hac causa conceptos, Hermannus Vandenbergius ad Archiducem transmiserat, in gratiam seditiosi cum Archiduce redie-

redierunt, Hostrata Kerpaque cuius expugnationi adfuerant, ei restitutis, Cæterum Ordinibus etiam Graviam reddiderunt, quamvis animo nonnihil uti videbantur invito, dolum enim meditabantur, idq; instinctu Vandembergii, qui civitatem istam ad Archiducem libenter convertisset, Verum enimvero magistratus civitatis datis hac de re ad Ordines literis, ne vel obsides à se dimitterent, vel thesaurum, quem asservandum Ordinibus antea dederant, seditiosis redderent, priusquam civitate omnes egressi essent, mature eos monuerũt, quod etiam factum est. Transactis igitur rebus omnibus Ruremontum maxima parte sese contulerunt, hospitia sua apud cives pro libitu quærentes. Ingens autem paulo post concertatio inter ipsos est exorta, cum enim qui natione Hispani erant, iubente ita Archiduce in Flandriam concedere vellent, cæteræ nationes, utpote Germani, Valones & Belgæ, id facere omnino recusantes, tam sese acriter ipsis opposuerunt, ut à verbis ad verbera tan-

Anno 1604.

Contentio inter seditiosos.

Anno 1604. dem ventum sit, indeque non pauci tã ex militibus quam ex civibus, qui liberari illis cupientes, expeditionem uti facerent modis omnibus suaserant, trucidati perierint, Cæterum de seditiosis istis rumor postmodum erat, quod constituissent traiecto Rheno in Frisiam & regiones alias penetrare, itaq; Mauritius equitatus sui partẽ cum duobus millibus sclopetariis ad Rhenum destinavit, qui à conatu isto eos prohiberent. Hoc quidem verum est, quod passim ab illis qui Ruremonto vicina loca inhabitant, lectos & copiosam supellectilẽ, sibi ad menses aliquot concedi expetierint. Quid autem porro de eis futurum sit, ubi tempus aperuerit, suo loco lector scies.

Pampelona, veteribus Pompeiopolis dicta, civitas est primaria regni Navarræ, cũ eius civibus Galliæ Rex egisse dicitur, ut in recuperando & obtinendo regno, sese iuvarent, Hac de re substitutus Villeroii, de quo supra dictum est ad Hispanum retulisse vel ex eo verisimile est, quod civium plusquam ducen-

centi in civitate iſta ſecuri percuſſi ſcribantur. Periculoſam autem admodum coniurationem in Galliæ Regem nõ ita pridem intentatam eſſe Angliæ Regis opera mirabiliter manifeſtatum eſt, Comes enim de Auvergnia, Bironii veſtigiis inſiſtens, effectum dare, quod ille non potuit, modis omnibus conatus eſt, cumque innotuiſſe ſuas molitiones Regi putaret, fuga ſibi mature proſpexit, conſilii ſui conſciis Regi indicatis, quorum aliqui cuſtodiæ mancipati ſunt. Anno 1604. *Coniuratio adversus Regem Galliæ detecta.*

Tres hiſce diebus naves Amſtelrodamum appulerunt, referentes ſe ingentem navim Luſitanicam, quam in India oriẽtali expugnaverant, una cum tribus præſidiariis navibus ad Doveram Angliæ reliquiſſe, quod propter onus nimium, & miniſtrorũ in ea ægritudinem, eam promovere amplius non potuerint. Ordines igitur ſtatim hoc accepto nuncio, naves aliquot populũq; auxilio ei miſerunt. Cęterũ ex una harũ naviũm, ingẽti copia ſericum exoneratũ eſt, quod quidem in navi Luſitanica *Naves quædam ex India orientali Amſtelrodamũ appellunt.*

Anno 1604. aquarum iniuria vitii nonnihil contraxerat, tanto enim tempore in mare navis illa oberraverat, ut miniſtrorũ pleriq; morbis varie afflicti, tandem perierint, & mirum ſit, eam traduci hucuſq; potuiſſe, cum præſertim nemo in ea ſupereſſet, cui non ad minimum pedes ingenti tumore ſqualerent. Erant in navibus iſtis legati cuiuſdam in India Regis, qui maxima parte una cum Regis iſtius filio, in itinere perierunt, ita ut octo tantum de viginti ſuperſtites, Amſtelrodamum advenerint, ubi cum præcipuus ex illis & ſanguine Regi iunctus moreretur, cum magna ſolennitate in Cathedrali templo ſepultus eſt. Funus illud armis & veſtimentis defuncti, quæ auro & gemmis quam pulcherrime intertexta nitebant, exornatum erat, illudque comitabantur proxime ſex Indiani, fulvo viridique, rubro item & albo colore more iſtius gentis induti, auroque & gemmis mirum in modum ornati, ſequentibus magna ſolennitate maioribus & præcipuis mercatorum omnibus, unde magnus quidem in civita-

Legati India cuiusdam Regis Amſtelrodamum adveniunt.

vitate multitudinis concursus factus est. Cæterum legationis istius causa ignoratur quidem adhuc, sed quantum ex familiari eorum colloquio, (sunt enim inter illos qui Lusitanicam probe callent linguam) colligi potest, Mauritio certe & Ordinibus admodum favēt, recollectisque nonnihil viribus, Hagam Comitis abituri sunt, cistulam miri artificii, à Rege suo munus, Mauritio oblaturi, in qua quidem quid continea tur, nemini videre hactenus licuit, quod Regi Batavorum, (sic enim loquuntur) soli, reservatam eam velint, verisimile tamen est unionibus & gemmis preciosissimis eam refertam esse, quod tempus aperiet. Anno 1604.

De Carolo Suetiæ Duce supra dictū est, Hoc autem tempore relatum ad nos est, Ordines Suetiæ, habitis Comitiis, regnum illud ipsi & hæredibus eius masculis plenarie obtulisse, facta ipsi potestate non titulum modo Regis usurpandi, sed & regio more regnum administrandi & reditibus regni pro arbitrio suo fruendi, qui cum propulsandis *Carolus in Regem Suetiæ designatur.*

Anno 1604. externis iniuriis, reſtaurandisq; quę per peſſi hactenus eſſent incõmodis ſuffice re non poſſe putarentur, decretũ ab Ordinib. eſt, novem milliũ exercitũ, integro triennio, & diutius etiã, ſi neceſſitas ita poſtularit, propriis ſuis ſumptib. ſuſtẽtare, De illis autẽ, qui tẽpore interregni, propter motus bellicos, alio cõceſſiſſe dicebãtur, ſtatutũ eſt, ut aut ſemeſtri ſpacio reverſi bona & ſedes ſuas repetant, aut emanentes perpetuo, bonis ſuis careant, ita ut ne poſteris quidẽ ipſorum ad ea ullo unq̃ tẽpore acceſſus pateat.

Mercimonia cum Rigenſibus exerceri prohibita.

Hoc igitur modo electus Suetiæ Rex Carolus, edictum ſtatim promulgavit, de hoſtibus ſuis nulla ratione ſublevandis, publicoq; ſcripto mercatoribus paſſim ſignificari iuſſit, ne ulla mercimonia Rigam impoſterum transportarẽt, ſe enim quicquid in mari eo deferendũ deprehenderit, hoſtiũ bonis adnumeraturũ & ſevere vindicaturum eſſe, claſſem enim in mari conſtituit quæ naves adventantes obſervans, navigationem ibi omnem infeſtam redderet, Cum igitur circa finem Iunii, plurimæ Lubecenſium, Hamburgenſiũ, & Embden-

siũ naves peractis negotiationib. suis Riga solvissent, & in classem illam incidẽtes post navalẽ pugnã admodũ cruentam, submersæ partim & in arenas breviaq; actæ, partim comprehensæ & in Suetiam abductæ sunt, paucis periculũ effugientib. ut ita damnũ maximũ ad mercatores inde tũ derivatum fuerit. Anno 1604.

In castris ad Slusam Mauritius publico edicto per tympanistã proclamari iusserat, ne quis depręda tionib. operã daret, sed in statione sua sese continerẽt, idq; propterea ꝙ multi in excursionib. eiusmodi cõprehensi, ab Hispanis abducerẽtur, cũ igitur cõtra mandatũ hoc secũda iã vice mites quidam, neglecta omni Ductoris sui admonitione, excursionẽ feciſſet, ut aliis terrori esset, in crucẽ statim actus est, præsertim cũ prima etiã vice ab Hispanis captivũ eũ redimi necesse fuisset. Nã captivos quidẽ liberare cui libet parti liberũ relictũ est, soluto tamen convenienti pro illis lytro, unde etiam primo Iulii ex Comitis Ernesti statione quidã inter quos duo primarii proceres, & sequenti die ex Mauritii

Excursiones in castris ad Slusam prohibita

sta-

Anno 1604. *Sluſenſes ut ligna pro coquendis panibus accipiant ædificia demoliuntur.*

ſtatione aliqui præſtito lytro dimiſſi ſunt. Eodem die Valonum quidam à Sluſenſibus deficiens in caſtra venit, ex cuius relatione cognitum eſt, mancipiis quidem ſemuncias 20. militib. vero reliquis 24. panis in diem porrigi in civitate ſolere, ſed lignorum eos ingenti penuria laborare, ita ut etiam ædificia demoliri cogantur, ligna pro coquendis & pinſendis panibus inde colligentes. De commeatu, qui in civitate adhuc ſupereſſet, contentionẽ non ita pridem ortam eſſe dicebat inter Gubernatorem civitatis, & generalem triremiũ præfectum; illo in duos, hoc vero in unum ſolummodo menſem vix ſufficere eum aſſerentibus. Cæterum explorator quidam Hiſpanus, profunditatẽ alicuius fluvii exploraturus, cum caſtris nimium appropinquaſſet, equites eum perſequi cœperunt, at ille ſumma celeritate regreſſus, periculum evitavit. Factum eſt autem ſequenti die, ut cum 18. ſclopetariis militibus reverteretur, qui collo tenus fluvium ingreſſi, eum ſequebantur, inſidias Mauritii militibus ſtru-

structuri, quorum cum octo Helvetios offendissent, facto in illos impetu, omnes occiderunt, sed equitibus in tumultu isto visi, cum fluvium assequi tã cito nõ possent, circulo inclusi omnes, una cum exploratore suo pœnam temeritatis capite luerunt. Anno 1604.

Quarto Iulij sub vesperam Ernestus, Henricus & Ludovicus Comites, & Galli quidã proceres alii, assumptis tribus equitũ turmis, & 80. sclopetariis, Dammium versus excurrentes, stationarios Hispanorum in urbem compulerunt, sub quorum adventum, ad arma statim conclamatum est, itaque cum equites moram ibi iusto diutius necterent, Hispani tria in eos tormenta exonerarũt, & mox urbe proruentes, impetum in eos fecerunt, qui cum numero sese & viribus inferiores viderent, arrepta statim fuga ad castra sunt reversi, uno atque altero equo post se relicto. Cæterũ Hispani ex Sluſa non semel excurrentes, fortunam suam experiri tentabant, sed cũ nihil proficere possent, in urbẽ sese statim iterum receperunt. Equites

Anno 1604 autem Hiſpani 70. cum extra caſtra, cõgregatos in domo quadã ſclopetarios offendiſſent, circũdata ſtatim domo, dedite vos inquiũt, qui præter glandes pulveremq; quod demus nihil eſt, reſpõdentes ad pugnã ſtatim accingũtur, qua ad horã fere protracta, cũ ſuperiores ſe fieri non poſſe Hiſpani cernerent & vero periculũ à caſtris gravius metuerent, ſoluto certamine diſceeſſerunt. Nihil autem præterea memoratu dignũ in caſtris ad primum uſque Auguſti diẽ actum geſtumq; eſt, præterquam quod Mauritius, cum certa relatione cognoviſſet, Hiſpanos collecto hinc inde milite, auxilium Sluſenſibus brevi mittere decreviſſe, & propterea etiam partem exercitus ex caſtris ad Oſtendam avocaſſe, contra omnem eorum impetum ſeſe undiq; munierit, caſtraq; propugnaculis & aggeribus firmiſſima fecerit.

Spinola trucidatus falſo dicitur.

Ex caſtris autem Oſtendanis rumor ſpargebatur, Spinolam in proxima pugna occubuiſſe, ſed rumor is tantum fuit, quamvis enim ex indeſinenti ſtudio Oſtendam expugnandi, & perpetuis vigiliis,

giliis, morbi quid contraxerit, accepto tamen ab Archiduce medico peritiſſimo, valetudinem priſtinam ſtatim recuperavit. Quantum autem ex literis Antverpia ſcriptis colligere licuit, error de Spinolæ perſona inde forſitan originem traxit, quod non ſolum multi nobiles in pugna iſta occubuerint, ſed & ipſemet Subpræfectus Spinolæ, Pompeius Iuſtinianus, vir primarius & in bello admodum exercitatus, brachio truncatus concidit. Nam de eius ſalute ſpei fere nihil ſupereſſe videbatur. Spinola certè nihil remittendum à ſtudio diligentiaque ſua ratus, cuniculos ſub porta occidentali alios parari iuſſit, Verum cum oppidani contrarios ipſis alios agerent, in eos incidentes, admoto ſtatim igne irritum Hiſpanorum laborem reddiderunt. Diſruptio autem iſthæc bono oppidanis nō erat, cum enim civitatem verſus directa maxime eſſet, viginti eius impetu milites trucidati ſunt. Quo viſo Hiſpani adſunt ſtatim, impreſſionem magno conatu urgentes, ſed non minus Anno 1604.

forti-

Anno 1604. fortiter quam tempestive ab oppidanis reiecti, castra iterum sua repetiverunt.

Adolphus Nassoviæ Comes in Ostendam venit.

Durante conflictu isto plures adhuc milites in urbem recepti sunt, Post dies vero pauculos, Adolphus Nassoviæ Comes cũ magna omnium lætitia Ostendam ingressus est, in cuius honorẽ omnia tormenta semel atque iterum sunt exonerata, tanto cum fragore, ut stupefacti Hispani ad arma statim omnes convolarint, eruptionem integro die armati metuentes. In Vtenhofii porro interfecti Gubernatoris locũ Marquetta ab Ordinibus substitutus est, qui in civitatem veniens, cum novi rursus valli designationem factam inveniisset, sexcentos statim constituit operarios, qui primo quoq; tẽpore opus illud perficerent. Egerant interea novũ sub porta occidentali cuniculũ, eoque disrupto impressionẽ rursus tentabant, duabus vicibus insultationẽ facientes, Nam cũ semel reiecti, ad castra sese recipere milites vellent, hastis gladiisque sævitum in eos à præfectis est, donec post trucidatos eorum furore plu-

ri-

rimos, insultum secunda vice facerent, qui tamen multis etiam præstantibus viris luctuosus funestusque fuit. Anno 1604.

Facta est eodem tempore & in Helmonto, cuniculi disruptio, Hispanis nō minus quam dicta modo, pernicioſa. Verum cum Alenburgius, Comitis ab Hollach subpræfectus, qui cum Adolpho Nassovio spectatum Ostendam nuper advenerat, incautius paulo, Hispanorum oculis se exponeret, globo traiectus concidit, Circa vesperam autem eiusdem diei, quo nobilis hic interfectus est, illato in duos cuniculos sub Polderensi propugnaculo factos igne, plurimos Hispanorum oppidani perdiderunt. Cum enim omne suum studium Hispani in cuniculos convertissent, oppidani quoq; quid hac in parte possent, experiri volentes in uno quidem 15. in altero vero 6. tormentarii pulveris vascula absconderāt, quæ accensa, non Hispanos solum nihil tale cogitātes plurimos disiecit, sed & corbes militares, quibus ad civitatem appropinquantes latere solēt, maxima parte sunt cōvulsi.

Comitis ab Hollach subpræfectus in Ostenda trucidatur.

Anno 1604. Excitaverant interea Hiſpani propugnaculum ſummæ altitudinis, iamque duobus inde tormentis tria oppidanorum in vallo Polderenſi conſtituta corruperant, itaque ut par pari referrent, duo tormenta in civitate veteri ita diſpoſuerunt, ut Helmontum petere, & Hiſpanos inde prohibere poſſent, cui occupando cum operam omnem iam darent, nec inde averti facile poſſe viderentur, oppidani paratũ ſub eo cuniculũ illato igne diſruperũt, ut Hiſpani magno numero in aerem varie diſiicerentur, cum enim pro conſervãdo Santhillæ propugnaculo, multum in eo momenti ſitum eſſet, modis illud omnib. conſervandum & retinẽdum oppidani haud immerito arbitrati ſunt. Et ſane conatus hic per cuniculos propugnacula diſiiciendi & impreſſionem vi ſumma faciendi, per ſingulos integri menſis dies continuatus eſt, tanto ab utraque parte fervore & furore, ut vix ſimile quid ex hiſtoriis unquã factum probari & demonſtrari poſſit, Adolphus vero Naſſoviæ Comes, cum

Cuniculos agendi ſtudium augens.

per

per 12. dies tantorum laborum ſpectator cum admiratione fuiſſet, cum 17. navium comitatu civitate iterum egreſſus eſt. Anno 1604.

Adolphus Naſſovius Oſtenda iterum diſcedit.

Emiſerat hactenus Budenſis exploratores varios, ex iisque didicerat, Chriſtianorum copias in Hungaria hoc quidem anno ſatis magnas fore, itaque quaſi pacem iterum petiturus, ad Strigonii præfectum literas tali ſententia dedit, Principio cognoviſſe ſe dicit, præfectum iſtum ſuum fratrem, pacis amore teneri, itaque non poſſe ſe intermittere, quin quid præterito anno pacem impedierit, per literas ei ſignificet, præcipuam autem cauſam impeditarum tractationis fuiſſe dicit, quod nimis ſero ea fuerit inſtituta, hinc enim factum eſſe, ut cum exercitus in arenam iam deſcendiſſet, & expeditio ab utraque parte facta eſſet, nullo modo reduci potuerit. Quamvis autem omnino, cum præterita hyeme ſatis mature, quieſcentibus undique militibus, tractatio rurſus eſſet inſtituta, pacis illud omnibus diu

Baſſa Budenſis literas ad præfectum Strigoniæ ſem mittit.

Anno 1604. desideratum negotium pertexere, & ad optatum finem perducere indissolubili amicitiæ fœdere inter utrumq; Imperatorem constituto, speraverit, attamen cum post Strigoniensis præfecti discessum, tribus mēsibus nec literas nec responsum accepisset, factumesse, ut nihil hac de re certi ad invictissimum suum Imperatorem referre potuerit. Cæterū iam cū exercitus utrinq; ad expeditionem paratus sit, nescire se quid polliceri sibi de pace debeat, Velle igitur dicit præfectum tanquam fratrem suum admonitum, ut negotium maturet, antequam copiæ ad fines utrinq; ducantur, nam se quidem paratissimum esse, ad quævis descendere, ne quis occasionem habeat de promissione sua dubitandi, ignorare autem quo Christiani sint animo, Hoc tamen dicere, q̄ copias ubi Belgrado moverint, continere postmodum & cohibere in manu sua futurum non sit, cum præsertim Turcis fidem induciarum proximarum tēpore, firmiter servantibus, non parum à Christianis damni illatum fuerit, &

Pacem interū Turcæ tractare simulant.

iam

iam vincula eorum qui in captivitatem tum inciderunt, ad vindictam Turcas excitent, Expectare igitur se responsum & adventum Præfecti fratris sui, ut quid porro facto opus sit, deliberari commode & constitui queat. Anno 1604.

Has literas quo fine ad Præfectum Strigonienſem Baſſa iſte dederit, divinare quidem difficile non eſt, Nam licet pacis ſe amantem eſſe, eamque modis omnibus promotam cupere teſtetur, deprehenſum tamen eſt, congregatos magno numero Sigethi Turcas, caſtellum Simninium noctu conſcendiſſe, expugnatumque incendio deformaſſe, omnibus qui in eo fuerunt hominibus in captivitatem abductis. Sed & Caniſia quingenti fere erumpentes, Limpacum verſus prædando progreſſi ſunt, vico iſto igne accenſo, Verum cum Comitis Serinenſis exercitus iter iſthac forte faceret, præoccupato transitu, adventantes Turcas fuderunt partim, partim captivos abduxerunt. Haiducci porro Lippa Belgradum verſus in prædam excurrentes, Keovi- *Simninium Caſtellum à Turcis vaſtatum.*

Anno 1604 um Caſtellum quoddam munitiſſimum, & octingentis Turcis habitatum, conſcenderunt, omnes præter 40 fuga elapſos, & 80. captivos, trucidarunt, prædamque ſatis divitem inde abduxerunt.

Cæterum de Cigala Baſſa, quem Ducem belli, quod cum Perſarum Rege hodie geritur, Sultanus conſtituit, ex Soriano ad nos relatum hoc tempore eſt, quod præter expectationem ſuam, in Seditioſorum manus incidens, ingentem cladem acceperit, & quod cum eam ulturus ex fuga converteretur, magnoque furore in Seditioſos iterum inſurgeret; ipſi à Perſarum Regis filio adiuti, eum ſecundo fuderint, & cum magno damno in fugam verterint. Nam Rex Perſarum quidem Servana & Argirone civitatibus expugnatis, Aruſtam, ubi Tigris fluvius in Euphratem iuxta ſtagnum triginta milliaria longum latumque exoneratur, occupavit, regione iſta omni ſibi ſubiecta, quam ſeptem triremibus à Luſitanorum incurſionibus

bus Sultanus hactenus defenderat, sub prædicti Cigalæ filii imperio, quem subditi una cum multis Ianitsaris comprehensum Regi Persarum non ita pridem obtulerunt. Anno 1604.

Hispani Slusensibus auxilio veniunt.

Hispani interea contracto ingenti exercitu, Slusam sublevatum adventarunt, castra medio inter Comitis Ernesti & Vandernotii stationem figentes, seque fossis vineisque primo Augusti die communientes, Mauritius igitur cum multa tormenta undique per universa castra disponi curasset, & hoc præsertim loco 64. constituta haberet, facto fulminandi initio, Balistariis, ut singulis horis die nocteque singula tormenta tam parva quam magna disploderent, serio iniunxit, Cui mandato cum satisfieret à tormentariis, incredibile dictu est, quantum damni in Hispanorum castris brevi temporis spacio datum sit, Sic enim à transitoribus cognitũ est, 2. iam Augusti die trucidatorum vulneratorumque ultra 500. numeratos esse. Recupe

Anno 1604. rarunt eodem die Hiſpani Caſtellum Mittelburgicum, quod 20. tantum præſidiariis munitum erat, quib. decedendi poteſtas facta eſt.

Hiſpani propugnaculum moientes impediuntur

Poſthabita autem tormentorum diſploſione, appropinquantes indies magis magisque Hiſpani, propugnaculum excitare cœperunt, iuxta foſſam quandam ex Lapſchura derivatam, à qua non longe aberat caſtrum nauticum pro tuendo ponte ibi excitatum, per quem Mauritii milites ad excubias ſingulis diebus deducebantur. Cum igitur propugnaculum hoc tam caſtro quam ponti infeſtum eſſet, atq; ita non parum damni militibus Mauritii inferri inde poſſe videretur, non ſolum pro impediendis in opere Hiſpanis, multa eo tormenta dirigi Maurirus præcepit, ſed & octingentos ſclopetarios, & quingentos nautarum miniſtros, ſub imperio Comitis Erneſti, multis ligonibus palisq; inſtructos, diſturbatum illud opus dimiſit, qui facto in operarios impetu, Hiſpanis inde omnib. profligatis, quicquid extructum erat, funditus demoliti ſunt. Cæte-

Cæterum maxima vi ad locum ubi Hiſpani caſtra metati fuerant conver- Anno 1604.
ſa, cum ex duorum perfidorum equitum qui ad caſtra Hiſpanorū tranſierāt, relatione, illi didiciſſent, Stationē Comitis Guilielmi præſidio imminutā admodum & infirmatā eſſe, ingenti quinque millium multitudine eam expugnatum, 7. Auguſti die contenderunt. Verum enimvero cum non procul inde Mauritius ſtationem etiam ſuam haberet, parum quidem quin caſtra perrumperentur abfuit, ſed inſigni tamen militum virtute tandem reiecti & in fugam verſi ſunt. Comes vero Erneſtus cum equitibus ſclopetariisque quibuſdam nocte egreſſus, pontem, quem Hiſpani ſuper fluviorum ex Dammio labentium alterum traduxerant, diſiecit. Porro audaculus quidam cum ſex mancipiis, 9. Aug. ex civitate deficiens, ad Mauritium deductus eſt. Erant autē omnes unico excepto Hiſpani, referebantq; Præfectum triremium cum Gubernatore civitatis vehementi contentione expoſtulaſſe, propterea quod mā-

Anno 1604. cipia fame perire permitteret, nihil enim panis integro iam octiduo ipsis suppeditatum fuerat, & licet immenso labore quotidie defatigarentur, instar suum tamen sustentabantur, pane pro militibus reservato, quorum singuli tres quartas unius libræ in diem etiamnum acciperent. Cæterum miserabilem in civitate dicebant à mulieribus liberisque eiulatum quotidie audiri, quod fames adeo iam invaluisset, ut nõ equi solum in cibum assumerentur, sed canes felesque à famelicorum aviditate tuti esse amplius nõ possent. Proponebatur tũ quidẽ mancipiis istis cibus, verum ne quis imposterũ civitate transeuntium, amplius admitteretur, novo præcepto simul cavebatur, itaque cum 11. Augusti tres ex civitate deficientes, transitum ad castra Mauritii pararent, redire eos in civitatem abnuentes pileo excubitores monebant, glande plumbea perseverantes in proposito traicientes.

Fames in Sluſa invaleſcit.

Tranſitores ex Sluſa à Mauritio reiiciuntur.

Dum hæc ibi fierent, venit in castra tabellarius, literas Gravia ad Mauritiũ affe-

afferens, quibus de ſeditioſis Archiduci reconciliatis perſcriptum erat, quod duo ex primariis eorum præfectis à reliquis deficientes, Graviam cũ multo exercitu reverſi eſſent, opera ſua ſublevãdis Sluſenſibus plane denegata. Erant iſti Thomas Vil & Papius, quorum hic quidem prodendo Hiſpanis Gertrudenbergio ſuperioribus annis interfuerat, ſed à Mauritio durante hac ſeditione non ſolum veniam conſecutus, verum etiam propter fortitudinem & militarem ſcientiam ſuam, in Tempelii ſeditioſorum prefecti trucidati, locũ ſuffectus fuerat, cuius beneficii poſtmodo ſemper memor, ſingulari Mauritium amore & favore proſecutus eſt. Hi igitur retento inſigni theſauro ſeditioſis reliquis, ſi participare quid de eo vellent, ſe uti ſequerentur denunciari curarunt, & 17. Auguſti die in caſtra ad Mauritium appulerunt. Anno 1604. *Seditioſorum prafecti duo ad Mauritium in caſtra veniunt.*

Porro Hiſpani celocibus & navigiis Lapſchura ſolventes, tranſitum ad caſtra Mauritii fruſtra quærebant, cum fluvius iſte multis palis ſudibusque obſtru-

Anno 1604. structus esset. Cum autem insultum Hispani facturi indies expectarentur, omnibus nautis sub graui pœna iniunctum est, ut à littore soluentes in altum mouerent. Cæterum Hispani incursionem facere cunctantibus, Mauritius centenos ex singulis stationibus separatos, propugnaculum eorum dimidiatæ lunæ formam referens, expugnatū misit, Erat id sex tormentis formidabile, sed impetum tamen insultantium magna vi militum sustinere diu non poterat, Reiectis igitur inde præsidiariis, dirutum statim & funditus deletum est. Irritati hac desolatione & exacerbati Hispani, magno numero castra oppugnatum procedunt, conclamantur igitur statim ad arma omnes, tormentisque illi ita excipiuntur, ut pedem retrahere nullo cum profectu cogerentur.

Nauta in altum mouere iubentur.

Conflictus cum Hispanis ad Slusam.

Non poterant autē propugnaculo isto carere, itaque neglecto omni periculo, summa illud celeritate postmodo repararunt. Interim Hispani ex castris ad castra Mauritii tāta copia transibant, ut tribus diebus centum & triginta

ginta octo eorum numerarentur. Nocte autē ea quæ 13. Aug. sequebatur, Hispanorum 50. circum castra oberrantes nihil proficiebant, nam licet ex civitate simul etiam magno numero erūpentes, duobus locis fortunam suam experirentur, post velitationem tamen non usque adeo cruentam, in urbem sese iterum receperunt. Cæterum qui hactenus ab Hispanis deficientes ad castra Mauritii transierant, navi in Selandiam 14. Augusti die sunt dimissi, unde in patriam redire quilibet possēnt. Eodem die octo equitum Hispanicorum turmæ, in excubitores Mauritii equites, cum 300. sclopetariis, ex arbusto quodā prosilientes, tres eorum interfecerunt, octo vel novem in captivitatem secum abductis. Anno 1604.

Nocturno autem tempore milites qui in civitate erant Hispanis in castris constitutis signum subinde incendio aliquo dare animadvertebantur, quibus eodem modo in castris Hispani respondebant, itaque ut si uno forte simul impetu irruere in Mauritii mlites

tam

Anno 1604. tam ex civitate quam ex castris viderentur, excipiendis hospitibus illis paratissimi milites essent, publico mandato illis iniunctum est, ut cui armorum aliquid deesset, ad Mauritii stationem, illud allatum veniret, præterea frumentatores & qui cibariis vendendis inserviunt, mutato loco, tabernas suas à littore ad stationem Mauritii promovere iussi sunt.

Articuli à mercatoribus Anglis ad pacis tractationē deputatis propositi

Pacis inter Angliæ Hispaniarūq; Reges tractatio in Anglia nuper inchoata; antequam finiretur, mercatores Angli sequentes articulos Hispanis proponendos, illis qui tractando huic negotio destinati sunt exhibuerunt, confirmationem eorum & approbationem omni studio & diligentia petentes. *Primo*, ut omni vetera privilegia & immunitates à superioribus Hispaniæ Regibus, Anglis liberaliter concessæ renoventur & confirmentur. *Deinde*, ne quis mercatorum in iudicium vocetur iniuriæ alicuius nomine terra marive, Reginæ Elisabethæ tempore Hispanis illatæ. *Tertio*, ut liberum relinquatur Anglis,

Anglis, appellere cum mercibus ſuis ad quemcunq; portum per univerſam Hiſpaniam, nec cogantur unum ſemper portum repetere, ſed eum mutare pro ratione loci, ubi rem facere, & cum maximo lucro negotiationẽ exercere poſſint, quemadmodum hac quidem libertate Hiſpani etiam in Anglia fruantur. *Quarto*, ne cui cuiuſcunq; nationis Hiſpaniarũ Regi non ſubiecto, permittatur in Hiſpania, moleſtiam aliquam Anglis creare, ob bona ſibi ſuperiorib. temporibus terra marive per Anglos erepta. *Quinto*, ut edicta de mercibus in Hiſpaniam non tranſvehendis revocẽtur, utq; liberum fiat omnibus, merces quaſcunq; & qualeſcũq; tam in Anglia quam aliis in locis paratas, in Hiſpaniã tranſportare, ea licentia quam An. 1584. Angli habuerant, nihil telonii portorii ve nomine ſolventes præter id, q̃ tum temporis præſtare uſitatum fuit, Vtq; cõtra pari libertate merces quaſcunq; ex Hiſpania vehere cuivis liceat, portorio ſolũ & telonio veteri perſoluto. *Sexto*, ut ſi forte mercatores merces ſuas Anno 1604.

co

Anno 1604. eo in loco, ubi portorium persolverũt, distrahere omnes non possint, liberum ipsis sit, in alium locum eas transportare, ita ut nihil amplius de eis præstare cogantur, dummodo literas à teloniorũ præfecto, de portorio semel persoluto secum afferat.

Septimo, ne quid detrimenti à subditis aut præfectis Hispaniarũ Regis, Anglis mercatoribus inferatur. *Octavo*, Vt omnes Angliæ Regis subiecti, qui vel ad triremes condemnati vel alio modo ca privi detenti sunt, ob quamcunq; causam, sola debitorum causa excepta, in libertatem statim adserantur & vinculis dimittantur. *Nono*, Vt restituantur Anglis omnia eorum bona, quæ ad S. Lucam olim habuerunt, & modo possi denda, quo ante hæc tempora ab ipsis sunt possessa, omnibus profugis & Regis hostibus inde eiectis. *Decimo*, Vt liberum sit Anglis aut eorum ministris, mercaturã exercentibus, ædificia & domus suas negotiatorias tanta amplitudine possidere, qua Hispanis in Anglia id permittetur, & ut nemo cogatur tabulas

tabulas accepti & expensi Hispanica, sed quacunque lingua sibi videatur cõmodum, & consignatos habere, itemq; ne cui ex Inquisitoribus liceat, tabulas & scripta mercatorum perscrutari, & examinare. *Vndecimo*, Vt si forte mercatores vel ministros eius in Hispania mori aliquando contingat, bona, merces, pecuniaq; eius universa cũ libris & expẽsi tabulis tradãtur statim in manus consulis vel Anglorum præfecti, qui loco isti quam proximus habitet, ubi casus factus est, ut ita illa omnia ad eos mature transmittantur, quibus de iure debentur, inquisitoribus aut iudicibus civilibus inde plane reiectis & seclusis. *Duodecimo*, Ne ulla vel molestia vel periculum aliquod alicui creetur, propter ea, quod negotiationes in India orientali & occidẽtali vel exercuerunt hactenus Angli, vel imposterum etiam exercituri sunt, sed ut ipsis tanquam mercatoribus negotiationes suas libere in illis locis continuandi copia fiat. *Decimo tertio*, Vt liberum sit Anglis mercatoribus, merces suas in terram deponere, & Anno 1604.

Anno 1604. navibus descendere in quibusvis totius Regni Hispanici portubus, sine ulla perscrutatione Inquisitorum, & ne cogantur Inquisitoribus rationem reddere de libris, quos secum habeant, deque exercitio religionis in navibus habito. *Decimo quarto*, Ne cogantur mercatores Angli, in terram appellere, & merces suas navibus inviti contraque voluntatem suam exponere, & ne cogantur amplius quam de expositis in terram bonis telonii quicquam praestare. *Decimo quinto*, Vt integrum sit ex Anglia mercaturam in Hispania exercentibus, consules & praefectos suos passim constitutos habere, qui Angli & Angliae Regi subiecti sint, qui quidem senatum cogere, iudicium facere & poenam irrogare possint omnibus qui Angliae quidem Regi subiecti in Hispania autem habitantes, aliis imperare & molestiam exhibere ausi fuerint. *Decimo sexto*, Si forte contingat inimicitias rursus inter Angliae & Hispaniae Reges existere, ut id tempestive

stive Anglis in Hispania versantibus denuncietur, & iustum temporis hoc est 6. mensium spacium pro componendis negotiis, & bonis suis regno evehendis, ipsis concedatur. *Decimo septimo*, ut si forte in navi aliqua vel pecunia vel bona interdicta alia inveniantur, pœnas soli possessores bonorum istorum luant, nec propterea navim totam, cum bonis quæ in ea sunt reliquis, periculum confiscationis subire necesse sit. Anno 1604.

His 17. articulis quatuor adhuc alios conscientias potissimum concernentes, subiunxerant petentes. *Primo*, ut per universam Hispaniam, tam in navibus quam in domibus suis, libros illos legere sibi permittatur, quorum lectio in Anglia omnib. concessa sit. *Deinde*, ne quis Angliæ Regi subiectus, cogatur templum frequentare & Ceremoniis communicare, quæ receptis in Anglia ceremoniis adversantur. *Tertio*, si forte aliquem contra constitutiones Ecclesiasticas in Hispania usitatas delinquere contingat, ne pœna ipsi ab In- *Articuli conscientiam concernentes.*

Anno 1604. quisitoribus irrogetur, sed ut tradatur in manus consulis sive præfecti Anglorum, qui cum excommunicatum in Angliam remittat, ea tamen lege, ut id sine vel suorum vel alienorum bonorum iactura fiat. *Quarto*, Vt omnia eius, qui ita contra constitutiones Ecclesiasticas deliquit, bona, tam quæ suo, quam quæ alieno nomine possidet, ad consulem vel præfectum, Anglicæ nationis, dominis quæque suis legitimisq; hæredibus restituenda deferantur. Cæterũ quid de his articulis omnibus, ut & de toto pacis huius negotio imposterum futurum sit, ubi certi quid dies aperuerit lectori communicabitur.

Catharina & Philippi propugnacula Hispani recuperant.

Nocte ea quæ inter 16. & 17. Augusti intercedebat, Hispani magna copia instituto iuxta Ardenburgũ itinere, Ostburgum versus contenderunt, ibique subsistentes impetum in Catharinæ & Philippi castella ingenti furore fecerunt, Committitur acre prælium præsidiariis animo alacri & imperterrito eos reiicientibus, Verum multis ab utra-

utraque parte cæſis, cum & foſſæ trucidatis repletæ iacerent, & vix 60. in Catharinæ quidem propugnaculo ſupereſſent, reſiſtere amplius tanto furori nõ valentes, facta deditione dimiſſi ſunt. Recuperatis porro hiſce propugnaculis, Hiſpani Caſantum ſtatim traiicere conabantur, ſed Mauritius auxilio ſtatim præſidiariis veniens, eos ne quid ab Hiſpanis metuentes expaueſcerent monebat, addita promiſſione, ſe auxilio ſuo, quamprimũ moliri aliquid Hiſpanos intelligeret, ſtatim ipſis adfuturũ. Et ſane Berkmannũ duobus præfecit propugnaculis, ſubpræfectum autẽ ſuum in pontis propugnaculo conſtituit, cumque præſidiarios ſingulis propugnaculis plures addidiſſet, Coxiam recta progrediebatur, Hiſpanos à Caſato prohibiturus. Anno 1604.

Hiſpanorum cum Mauritii copiis ad Sluſam conflictus.

Mauritio vix in propugnaculum Coxiam ingrediente Hiſpani ingenti impetu & caſtra irruunt, tanta fortitudine in contentione pugnantes, ut perrupturi ea omnino viderentur. Et ſane niſi inſigni ſua virtute Comes

Anno 1604 Guilielmus militib. adfuiſſet, pugnantibusque illis ſtrenue calcar aliquod ex emplo ſuo addidiſſet, expugnatis certe caſtris Hiſpani ſuperiores omnino evaſiſſent, præſertim cum eo iam redacti miſeriarum eſſent, ut pulvere tormentario omni cũ globis abſumpto, gladiis pugnare & haſtas obiicere inſultantibus cogerentur, Verum Mauritius ex Coxiæ ſtatim caſtello ſex ſignorum recentem exercitum, cum multo pulvere & globis in caſtra dimiſit, quorum adventu recreati milites, animum accipiũt, renovataq; quaſi pugna, Hiſpanos vineis munitionibusque quas iam occupaverant omnibus, iterũ eiiciunt.

Hiſpani Sluſam ſublevare volentes receptui canunt.

Ceciderant in hoc conflictu, quo de ſumma quaſi reutrinq; decertatum eſt, vltra 500. Hiſp. atq; inter illos ex ſeditionis, Archiduci iterũ reconciliatis, quam plurimi, itaq; cum nihil proficere contra tam munita Mauritii caſtra poſſent, receptui canere, collectisq; vaſis diſcedere viſi ſunt. Cæterum poſt eorum diſceſſum tubicen quidam, marchionem Renteium cum præfecto quodam alio, qui

qui in prælio hoc occubuerant, inter trucidatos quæsitum reversus est, quos cũ inveniſſet, ſoluto lytro ſecũ abduxit. Sed & tympaniſta paulo poſt ciſio inſidens præfectum quendam Tirolenſem cum tonſore ex mortuis liberaturus advenit, cumq; perluſtratis trucidatorũ acervis, eos non inveniſſet, multi enim iam ſepulti fuerant, veniã à Mauritio ex ſepulchris eos iterum eruendi impetravit; præſtito igitur lytro cum eos inveniſſet ſecum abduxit. Anno 1604.

Porta occidentalis in Oſtenda per cuniculos diſiecta.

Ad Oſtendam interea multa navigia recenti milite commeatuq; onerata appulerunt, ſed Hiſpani à ſtudio agendi cuniculos non ceſſantes portam occidentalem vehementi pulveris ſub ea abſconditi diſploſione cõvulſam, mediam fere diſiecerunt, multis præſidiariorum in ea conſiſtentium interfectis. Patebat tum acceſſus ad civitatem ſatis magno hiatu, itaque ne occaſionem hanc Hiſpani negligerent, noctu ſtatim ad vallum vetus penetrant, & quamvis oppidanos inde eiicere omnes non poſſent, tres tamen poſt-

Anno 1604. modum munitiones firmiſſimas in eo excitant, & 50. tormentis pro nova civitatis fortificatione, dum terra adhuc recens eſſet, eo melius diſturbanda, inſtruunt. Nam oppidani quidem, adhibitis mille & ſexcentis operariis in abſolvendo novo vallo, modis omnibus laborabant, & ut eo tutiores in opere eſſent corbes aliquot militares Hiſpanorum munitionibus oppoſuerant, nõdum tamen vallo veteri per omnia cedentes. Erat autem illis vicinitas iſta Hiſpanorum admodum moleſta, itaq; 16. Auguſti, magno numero civitate erumpentes acerrimo cum eis prælio decertarunt. Verum reiecti Hiſpanorũ multitudine cum aliquot tormenta labefactaſſent, in urbem iterum ſunt reverſi: Cruenta hæc admodum pugna fuit, in qua cæſorum ab utraque parte tria millia numerati dicebantur, qui tamen pleriq; apud Hiſpanos ſtipendia fecerint. Nam Hiſpani quidem ipſimet parum promovebãt, caventes ſibi poſt principia, aliarumq; nationum milites ſubinde propellentes, unde contentio-

Prælium inter Hiſpanos & Oſtendanos ingẽs.

nes

nes & ſimultates in caſtris haud raro exiterunt, quemadmodum ex Italo ab Hiſpanis tum deficiente perceptum eſt. Anno 1604.

Cæterum Spinola, ut cladem ſuorũ militum ulciſceretur, directis in nova civitatis propugnacula 46. tormentis, tanta diſploſione furere cœpit, ut vel 500. ictus uno die ab oppidanis numerarentur, Cumque pulveris globorum que iacturam fruſtra facere, oleumque & operam hac diſploſione perdere ſeſe videret, impreſſionem aggredi tentavit. Incurſum igitur magno numero Hiſpani tũ fecerunt, & licet fortiter reiicerentur, reverſi tamen denuo propugnaculis oppidanorum vi ſumma potiri nitebantur. Sed irritus non ſolum & fruſtraneus conatus omnis erat, verum etiam cum ingenti damno coniũctus, ut eo plane abſtinuiſſe ſatius longe & præſtabilius fuiſſet. Mauritius certe licet militibus propter obſidionem Sluſenſem carere non poſſe videretur, non deſtitit tamen Oſtendæ modis omnibus proſpicere, decem militum ſi-

Mauritius auxilium Oſtendanis mittit.

Anno 1604. gnis ducētisq; remigib. cū pulveris, globorum tormentorumq; copia non exigua, eo destinatis. Audierat. n. constituisse Hispanos vniversali paulo post insultu extrema quæq; experiri. Verū ipsi de novo hoc oppidanis præstito auxilio edocti, spōte sua à conatu isto abstinuerunt. Ingens 6. Aug. horam circiter decimam vespertinam incendium Pragæ factum est, quod brevi temporis spacio ita invaluit, ut decem ædificia flammis absumpta perierint, Excitatum hoc per incendium est à mendico quodam Bohemo, postmodum compræhenso, quē si non ætas & canities, capularis enim iam erat, at supplicii saltem, quo paulo ante in consimiles quosdam facinorosos animadversum fuerat, gravitas deterrere à facinora isto merito debuisset. Ad postes enim quatuor catenis ferreis alligati lento igne circumcurrentes torrebantur, cumque calore nimio macerati in terram forte decumberent levamen aliquod & refrigerium captantes, ferventē statim oleo conspergebantur, ut exquisitissimos do-

Incendium Pragæ, & incendiarii puniti.

dolores antequam extinguerentur per ceperint, qui postquam dimidiam horam currendo absolvissent, concidentes tandem animam exhalarunt, digna facinoribus suis pœna percepta, cum præsertim inter alia, etiam Annæbergensis incendii, de quo supra dictum est, non quidem autores primi, sed interpolatores tamen & adiutores fuisse se, & diversis in locis, dum cives in supprimenda, quæ fabri cuiusdam serarii domum corripuerat, flamma, occuparentur, ignem suppositum fuisse, confessi dicerentur. Anno 1604. *Incendii Annabergici autores puniti*

Cæterum à Rege Persarum legatus quidam, sub finem Iulii, Pragam adveniens, cum quingentis equis totidemque peditibus in urbem deductus liberaliterque admodum habitus est. Admissus autem ad Cæsarem, primo quidem in terram procubuit, pedem eius dextrum exosculaturus, cumque id Cæsar admittere recusaret, manui postmodum dextræ osculum infixit, elegantique oratione à Cæsare petiit ne pacem cum Sultano faceret, sed *Regis Persarum legatus Pragam advenit.*

bello

Anno 1604. bello eum continuo persequeretur, quod ipsum quidem Rex etiam suus facere omnino decreviſſet. Perierant in itinere ex comitibus eius viginti, itaque qui adhuc superstites erant, cum ad Cæsarem similiter, legato tamen prius dimisso admitterētur, pedes eius ad quos seſe illico abiecerant, magna devotione exosculati sunt. Paravit post dies aliquot legatus iste convivium regale admodum & splendidum, in quo cum inter alia à principibus quibusdam qui ibi aderant interrogaretur, quomodo aeris in hisce regionibus constitutionem ferret? initio quidem valetudinis suæ mutationem aliquam deprehendisse se respondit, sed postquam munere suo apud Cæsarem perfunctus esset, melius habere iam cœpisse. Durante autem etiamnum prandio, vitrum eximiæ capacitatis, quod pro salute & incolumitate Cæsaris, Romani pontificis, Hispaniarumque Regis ebiberetur, infundi sibi iussit, eoque evacuato & absoluto, æquum quidem esse dicebat, ut pro salute aliorum etiam Regum & Principum,

Legatus Persicus convivium Pragæ celebrat.

pum, utpote Galli, Poloni, Angli & Venetorum, illud denuo repletum bibere tur, verum cum eos Sultano quidem fœdere iunctos sciret, abstinere sese à poculo isto hac quidem vice velle. Post remotas epulas, cum mensa convivæ surrexissent, de viribus Sultani sermo incidit, referentibus quibusdam, centena millia eum hac quidē æstate in Hungariam mittere constituisse; At ille, cū Aleppum Rex suus aliasque civitates nuper expugnarit, verisimile quidem sibi nō videri respondit, tantas eum copias in Hungariam mittendas colligere hoc quidem anno potuisse. Anno 1604.

Mauritius de abitu Hispanorum Slusenses certos facit.

Post Hispanorum à Sluſa deceſſum Mauritius ſtatim tubicinem ſuum ad civitatem mittebat, qui elevata in altū tuba, miſſum ſeſe à Mauritio clamabat, nunciatum Sluſenſibus, Hiſpanos civitatem ſublevare volentes, ſolutis caſtris abiiſſe, monebatque ut ad Gubernatorem hoc referrent, Ad quæ Sluſenſes, ſi à Mauritio miſſus ſit, tuba canat reſpondent, verum ille, in mandatis ſe id non habere dicens, ad caſtra reverſus eſt. Ne quid

Anno 1604. quid autem de veritate huius relationis dubitarent Sluſenſes, coniecto ſtatim in caſtra Hiſpanorum igne, deſertas eorum munitiones omnes accendi Mauritius iuſſit. Veniens igitur ex civitate Lippinus Præfectus inducias ſex vel ſeptem dierum paciſci volebat, ut reſponſum interea ab Archiduce accipiens, quid faciendũ porro eſſet cognoſceret, Denegabat inducias Mauritius, ne horam quidem ad deliberandum ipſis ſeſe permiſſurum reſpondens, itaq; vt datis utrinq; tribus obſidib. de conditionibus quibus deditionem facerent agere tur Præfectus petiit. Decimononoigitur Aug. die, horam circiter matutinam nonam, tres Centuriones à Mauritio in civitatẽ abierunt, reverſiq; ſunt cõtra ex civitate Lippinus, cũ ſupremo vigilũ præfecto, & ſubpræfecto Comitis Stuerenſis, quorum duo quidem in civitatem paulo poſt cum articulis ad deditionem pertinentibus, iterum abierunt, tertio in caſtris, donec tranſactio fieret remanente.

Sluſenſes deditionẽ faciunt.

Interea dum de articulis illis utrinque

que ageretur, ingens virorum mulierū- Anno
que & liberorum turba in vallum con- 1604.
fluens, miſerabili admodū eiulatu gratiam Mauritii implorabant, à quo cum præfecti expeterent, ut triremes & tormenta cum mancipiis, urbe ſimul efferre ſibi liceret, ipſe denegatis hiſce omnibus, tres dies ad deliberandum præfectis conceſſit, hac conditione, ut ſi 20. ſtatim Auguſti die decedere parati eſſent, facerent id omni armorum genere inſtructi & ſupellectilem etiam ſuam ſecum portantes. Sin cunctarentur in diem 21. decederent tum armis omnibus præter gladios lateri alligatos depoſitis, Quod ſi in urbe ad 22. uſq; moras nectere & ſubſiſtere deprehēderentur, deceſſum tum facerent, præter miſericordiam à Mauritio nihil expectantes. Auditis hiſce conditionibus, primam ſtatim milites arripuerunt, itaq; circiter duodecimā noctis in caſtra reverſi duo iſti obſides, approbatos à Præfectis & receptos deditionis articulos hoſce 4. Mauritio retulerūt. *Primo*, ut Guberna- *Articuli deditionis Sluſenſis.*

tori

Anno 1604. tori cum omnibus militibus, omni armorum genere instructis decedere liceat, tam signis sive vexillis explicatis & erectis, quam funiculis fumigantibus adhibitis. *Deinde* ut omnia tormenta cum pulvere tormentario, globisque & id genus rebus bellicis aliis, in urbe relinquantur. *Tertio*, Vt mancipia omnia quæ adhuc supereſſent, in urbe maneant. *Quarto*, ut triremes etiam omnes, Mauritio relinquantur.

Hiſpani Sluſa decedunt.

Hac transactione utrinque acceptata & confirmata, ingens ab utraque parte lætitia extitit, Mauritiusque navium præfecto in mandatis dedit, ut parata circiter horam matutinam sextam nauigia haberet, quibus præsidiarios civitate deferret. Sic igitur 20. Augusti die, ex civitate decesserunt 3380. milites, cum quatuor vexillis, omnes armati, quibus, cum integro quatriduo panem non vidissent, inter transeundum cibi aliquid potusque iussu Mauritii suppeditatum est, ut eo commodius Dammium, quo dimittebantur, assequi possent. Mancipia servique quorum 1400.

in

in ciuitate ad huc erant, integris iam 18. diebus panem nullum gustauerant, vt famem semel explere optarent vnice. Anno 1604.

Reperiebantur autē in ciuitate 84. tormenta ænea & 24. ferrea, quòrū quædā tanta erant capacitate, vt vel 60. librarum globos ferreos admitterent. Pulueris porro tormentarii globorumque magna satis aderat copia, itaque cum interrogarentur præsidiarii, cur pulueri ita pepercissent, & à tormētorum displosionibus, adeo sibi temperassent, respondérunt pro excipiendo ponte oppugnatorio puluerém istum reseruatum fuisse.

Cæterum qui Catharinæ & Philippi propugnacula occupauerant Hispani, cum de expugnata Sluſa nuncium accepissent, Coniecto in propugnacula igne discesserunt. Seditiosorum autem turma ad Isendikam mouens, malè à præsidiariis accepta, & cum damno inde reiecta est. Pro victoria autem hac Amstelrodami, 22. Augusti, omnes Cāpanæ pulsatæ sunt, fusisque cum gratiarum actione in omnibus templis ad Deum precibus, ciues per omnes plate-

Anno 1604. as, ignes lætitiæ signa excitarunt, tanto cum feruore, vt ciuitas flammis quasi tota exposita videretur. Post expugnatam ciuitatem, cum exercitus Mauritii confluentibus vndique militibus, indies magis magisque augeretur, instituta generali lustratione, Ardenburgum muniri, ibique pro tribus equorũ millibus stationem stabilumq; parari iussit. Ingens inde metus per vniuersam Flandriam extitit, qui septem quidem viris Hemgouiæ propter religionem ad supplicium condemnatis, vitam prorogauit, cum enim eo ipso quo sententiæ executio fieri debebat die, de expugnata Sluſa nuncium acciperent, consternati animis, eos captiuitati iterum manciparunt, octauo solummodo, qui facinorosus alioqui fuerat, ad supplicium protracto. Ad Hispanos porro quod attinet, illi expugnata Sluſa, Hulstum partim, partim Blanckebergam versus contenderunt, tertia vero pars in castra ad Ostendam est reuersa. At quatuor Flandriæ ordines, cum delegatis Brabantiæ, habito Brugis conuentu, de Mauritione vlterius progre-

Expugnata Sluſa ciuitate quid porro ab vtra que parte factũ sit.

de-

deretur reprimendo, deliberationem susceperunt, maximè cum audissent, eum de mille curribus sibi mittendis, & precibus ad Deum peculiari die, per vniuersam Hollandiam fundendis, mandatum promulgasse, vt metuendum esset, eum communita modis omnibus Sluſa, vlterius processurum. Anno 1604.

In milites Althemicos sententia tandem 16. Aug. die talis prolata est, ut sex eorũ propter perfidiam duob. ptiorib. dextræ manus digitis mutilarẽtur, qui in viis passim & cõpitis suspensi, militibus, ut à seditione, rapinisq; & latrociniis abstinerent, admonitioni imposterum essent. In præfectos vero, centuriones, tribunos & signiferos, quorum nõ exiguus erat numerus, 26. postmodum Aug die, iudiciũ eiusmodi pronunciatum est, ut quidam crimine absoluti dimitterentur, quidam muneribus & officiis suis iterum præficerentur, pauci vero amputata primum manu dextra capite partim minuerentur, partim in crucem acti laqueo vitam finirent. Verum enim vero cum universa Archiducis nobilitas, multiq; primarii proce- *Sententia in Althemicos milites lata.*

Anno 1604. res alii, pro ipsis intercederent, ut vita donarentur tandem obtinuerunt, ea tamen cõditione, si sumptus in iudiciũ factos persolverent & integro triennio gratis stipendia facere pollicerentur.

Cæterum cum præ cæteris quæ hac æstate acciderunt, celebris admodum sit expeditio in Flandriam à Mauritio facta, Slusensisq; civitatis expugnatio, ut lectori, quæ gesta ibi sunt, ad oculum quasi paterent omnia, icones adiicere visum est, quas literis partim, partim vero etiam numeris declaratas sic intelliges. In delineatione expeditionis A litera, Vlissinga civitas est, à qua Mauritius expeditionẽ facturus soluit. B. portus est, quẽ angulum nigrũ vocant, C. propugnacula sunt, quæ Hispani deseruerunt, D. Isendica est castellum fortissimum, quod in civitatem convertere maritimam, mercatores nuper Seladici cœperunt, E. propugnaculum patientiæ est, F. Ardenburgum, G. Mittelburgum oppida, H. castra Hispanorũ sunt iuxta Eckloam, cum Mauritius Isendika potiretur subsistentium, I. locus est ubi traiicientes Hispani Casantum recuperare nitebãtur, K. locus est, ubi pontẽ per duo flumina ex Damio labentia traduxerant, L. propugnaculum est iuxta pontem extructũ, quod Hispani Mauritio flumina ista traiiciente, deseruerunt, M. conflictus Hispanorum est cum Mauritianis prope propugnaculũ leporinũ sive novũ

Expeditio in Flandriã delineata explicatio.

factus, N. propugnaculũ leporinũ ſive novũ. O. Naves ſunt alimenta caſtris advehentes, P. Promontoriũ Beccaff, Q. Munitiones ante Sluſam, R. Caſtra Mauritii ſunt aliquo modo deſignata. S. Claſſis eſt confœderatorũ ordinũ valde memorabilis. T. Blanckenberga propugnaculum. V. Propugnaculũ Philippi. X. Saſſa vel tractus eſt Gaudavienſis. Y. Caſtra ad Oſtendam. Z. Oſtenda cum propugnaculis ſuis aliquo modo delineata, Aa. Naves ordinũ præſidiariæ ſunt, ad Oſtendã cõſtitutæ. Anno 1604.

In obſidionis Sluſenſis delineatione, 1. ſtationẽ Mauritii & Comitis Henrici denotat. 2. ſtationẽ Comitum Ludovici & Guilielmi. 3. ſtationẽ Comitis Erneſti & Helvetiorũ. 4. ſtationẽ Vandernotii, 5. naves Vandernotii pręſidiarias, trib. locis conſtitutas. 6. locũ ubi naves tranſeuntes viſitabantur. 7. locũ ubi naviũ præfectus cũ trib. navib. ſubſtitit. 8. locũ ubi nautæ in excubiis fuerunt. 9. locũ ubi præſidiariæ naves in excubiis fuerunt. 10. locũ ubi 26. tormenta Mauritius cõſtituta habuit. 11. Locũ ubi Hiſpani navim quendam ſubmerſerũt. 12. locũ ubi 7. triremes ſubmerſæ ſunt. 13. Dimidiã Hiſpanorum lunam caſtello ꝓpoſitã. 14. Dimidiã Hiſpanorũ lunã extra civitatẽ poſitã. 15. caſtellũ civitatis eleganter quidẽ extructũ, ſed tormentorũ minime patiens. 16. propugnacula foſſis deſtituta. 17. propugnacula foſſis obducta. 18. Vi

Obſidionis Sluſenſis delineatio & explicatio.

Anno 1604. neæ & fossæ insignis capacitatis, 19. & 20. Duo flumina, quorũ alterũ aqua potabili est, alterũ salsa, 21. & 23. ꝓpugnacula ab Hispanis ꝓtuendo portu excitata. 22. locũ ubi ultra 300. frumentatorũ & ꝓpolarũ navigia substiterũt. 24. Fossã in qua 25. naves vino onustæ substiterant. 25. orificiũ portus Slusensis. 26. Forũ equariũ, navib. admodũ pernitiosum. 27. Insulã Casantũ. 28. ꝓpugnaculũ desolatũ. 29. castellũ leporinũ sive novũ. 30. locũ ibi multa torméta cõstituta fuerunt. 31. Munitionẽ cũ duob. tormentis, unde molẽdina civitatis sunt dilecta. 32. Munitionẽ in agro pro trib. tormentis excitatã. 33. aggeres super flumina traducti. 34. Viã Isendicã ducentẽ. 35. Viã Brugas ducentẽ 36. insultũ Hispanorũ iuxta stationẽ Comitis Guilielmi. 37. Insultũ Hispanorũ iuxta castra & stationẽ Vandérnothii. 38. Insultũ Hispanorum in terra fossis paludibusq; deformata 39, Insultũ Hispanorũ in ꝓpugnacula Catharinæ & Philippi. 40. Insultũ Hispanorum iuxta Ostburgũ, 4. Decessum Hispanorũ denotãt. Cæterum quod ad pontem oppugnatoriũ attinet, cuius delineationẽ hic adiectã lector vides, eorũ quidẽ duo parati fuerũt longitudine 416. pedũ, ex asserib. tantæ crassitie ut sclopetorũ ictib. resistere facile possint, cõtra ictus a. tormẽtorũ aliæ ex frondib. munitiones adhibẽdæ fuerant, Putatur esse tantæ capacitatis,

tis, ut vel duob. millib. recipiẽdis & traducẽdis sufficere possit. Adducẽdis autẽ hisce põtib. nautæ & fabri lignarii quãplurimi operã suã spõte sua obtulerũt, quib. tamen in periculorũ solatiũ, singulis horis dũ in opere essent 6. florenorũ merces assignata est. Verũ enimvero cum fame Sluisenses expugnati decessserint, admovere civitati hasce machinas opus non fuit. Anno 1604.

Quod vero tandẽ delineationẽ Ostendæ attinet, scire te velim lector, eã nõ qualis olim, sed qualis iã cernitur, in charta hic expressam esse, Denotãt autẽ. 1. Santhillæ ꝓpugnaculũ. 2. Helmontũ, ab oppido separatũ. 3 Vallũ occidẽtale, ubi disrupto cuniculo multi Hispani occubuerũt. 4 ꝓpugnaculũ polderẽse. 6. ꝓpugnaculũ inter ortũ & austrũ interiectũ. 7. ꝓpugnaculũ Hispanicũ. 8. ꝓpugnaculũ Peckliũ. 9. Vallũ septentrionale, in quo Flãmẽburgũ ꝓpugnaculũ sum̃æ altitudinis excitatũ est. 10. ꝓpugnaculũ à septẽtrione ortũ versus inclinãs, iuxta novũ portũ, quẽ naves hodie observãt. 11. Engelburgũ ꝓpugnaculũ ab altera port' parte septentrionẽ ℣sus vergẽs. 12. Tabulã Mosis. 13. Novũ portũ alium à præcedẽte. 14. ꝓpugnaculũ mẽdax. 15. ꝓpugnaculũ Beccaff. 16. Schotteburgũ. 17. Falsebrã. 18 portum occidentalẽ. 19. Porsepicũ, ab Hisp. cuniculorũ beneficio expugnatũ. 20. Munitionẽ occidẽtalẽ, 21. Munitionẽ polde- *Ostendæ in charta delineatæ explicatio.*

Anno 1604. polderēsē. 22. Dimidiā Polderēsis ꝓpugnaculi lunā, ab Hiſpanis expugnatā, 23. Munitionē meridionalē. 24. Munitionē inter auſtrū & ortū mediā. 25. Munitionē orientalē. 26. Munitionē ante portā orientalē extructam. 27. Dimidiā lunā Hiſpanicā trans Geulā excitatā, & magnis operib. munitā. 28. portū per medios aggeres traductū. 29. ꝓpugnaculum aggerib. impoſitū. 30. portā orientalē. 31. portā ad ꝓpugnaculū Hiſpanicū ducētē. 32. Schlimmeri lunā dimidiā. 33. ꝓpugnaculū omnib. exosū. 34. & 35. Munitiones deſertas denotāt 36. Munitionē auſtralē, polderā verſus excurrētē. 37. Vallū polderēſe. 38. Vallū occidētale. 39. dimidiā lunā ab aggerib. in foſſa ꝓ excubiis oppidanorū factā. 40. Dimidiā lunā aliā ꝓ tormentorū à vallo meridionali diſploſionib. avertēdis extructā. 41 Pōtē quo ad aggeres itur. 42. Pontem aliū, q iam diſiectus eſt 43. Pontē quo in veterē civitatē itur. 44. locū ubi civitatis veteris ab Oſtēda ſeparatio facta eſt. 45. pontē Santhillam ducentē 46. Alveū veterē. 47. ꝓpugnacula in civitate tria, eximiæ altitudinis 48. Munitionē quēdam civitatis. 49. Novū Helmōtum, 50. Novum propugnaculum occidentale. 51. Hortum liberum. 52. Dimidiam lunam cuniculis infeſtam. 53. ſeparationem civitatis ſecundam. 54. ſeparationem civitatis tertiam, novam & parvam Troiam vocatam, denotant.

FINIS.

A01 194 1023